PETRI DE

MARCHETTIS

PHILOSOPHI ac MEDICI Patavini,

EQUITIS D. MARCI,

ET IN

Patrio Gymnasio Chirurgiæ olim, nunc vero Anatomes Professoris,

OBSERVATIONUM

MEDICO-CHIRURGICARUM

RARIORUM SYLLOGE.

Accesserunt Aliquot

OBSERVATIONES AUCTORIS POSTHUMÆ.

MANCHESTER MEDICAL SOCIETY

MANCHESTER MEDICAL SOCIETY

LONDINI:

Impensis J. NEWTON, in *Little Britain.*

MDCCXXIX.

J1
M20

ODE.

MANCHESTER MEDICAL SOCIETY

HOstis minanti ſubripuit virum,
Qui concidentem fulmine, civica
Olli decorabat corona
URBS meritam generoſa frontem.
Decreta magnum eſt irrevocabilis
Miſcere fati, pollice ferreo
Vitamque tollentes ſorores
Intrepida prohibere dextra.
At jam reciſum jungere cœlica
Virtute ſtamen, majus; adoream
Huic fulva gemmis aggravatam
Gangeticis paret unda ripis.
Deſævientis ſpiritus æneus
Æſtus vagantes pectoris excitet,
Tremant tumultus prœliorum,
Et dubii fera caſtra Martis.
Mors victa cedet, dum medicam manum
Marchettus ægris porriget, igneam
Vitam qui inacceſſo tonanti
Eripuit meliore fato.
Jactet cruenta funera cuſpide
Ferocientis dextera militis
Tormenta nimbo fulminanti
Vulnificos jaculentur ignes:
Nulli timendum, dum Podalirius
Noſter peritis artibus inſeret
Vitam, reciſos ſive junget,
Seu rigidos animabit artus.
Phœbo probatos novimus aureæ
Mentis labores; hac methodo fretos
Nunquam profundi coget Orci
Vulnus atrum properare ſedes.
Abeſte Divi, terricolæ valent
Arcana Cœli pandere, texuit
Veſtris vagans in viretis
Mente ſibi diadema vitæ
Marchettus, & per regia compita
Formam prioris carpſit originis;
Secretiores, & cupivit
Luminibus penetrare partes;
Hinc mira virtus ora, faventibus
Crevit docendi proſperitas Diis;

Hinc

ODE.

Hinc fluxit in nos, dum notatis
Docta patent monumenta chartis.
Quæ non peribunt, fixa ſed atriis
Divûm manebunt; quæ nec aheneus
Diſſolvet imber, nec ſeverum
Exitium meditatus ignis.
Tibi flagrantes interea fores
Laxantur, almæ lucis honoribus,
Te PETRE ſuſpirat, fluenti
Turba micans religare ſerto.
Conſcende Cœlum, dum tibi Numine
Favent amico ſydera, jam Dij
Fulſere lævum, jam ſerenum
Non dubia tenuere flamma.

M. Ant. Franchinus
Phil. & Med. D.

V. C.
Petro de Marchettis, Equiti,
Medico, ac Anatomico eximio,
Qui
Artis dexteritate, ſolido doctrinæ ſpecimine
Evolantes animas ſæpe ad vitæ moras
Revocans,
Suæ famæ nomen
Ad æternitatis Delubrum appendit:
Et, ut olim ad Dianæ Epheſiæ templum,
Hic medicas exhibet tabellas;
In quibus
Ignotas artis vias perluſtrans,
Mutilata conglutinat corpora,
Ut integra exponat;
Mæandros corporis rimatur occultos,
Ne periclitetur corpus;
Crudeli mortis lanienæ ſeſe opponens,
Fatorum jura
Aut frangit, aut vincit.
In cujus manu
Ferrum, non artubus, ſed morbis ferrum eſt.

Præceptori ſuo

Ant. Scar Phil. & Mea. D.

DE
VULNERIBUS
CAPITIS
CUM
FRACTURA CRANII.

MANCHESTER MEDICAL SOCIETY.

OBSERVATIO I.

Vulnus cum fractura cranii, & effluxu particulæ cerebri, in ſene ſexagenario.

ROGATUS ſæpiſſime a quampluribus medicinæ ſtudioſis, ut obſervationes meas Medico-Chirurgicas typis committerem; deliberatum id a me nunquam fuit; quod a meis diſcipulis publicè, cum in Noſodochio, tum aliis locis, non ſolum fuerint obſervatæ, ſed etiam ſcriptis mandatæ; quas proinde ſupervacuum cenſerem in lucem edere. Verum cum amicorum aliqui eas

denuo ſolicitarent, rariores ſaltem, publici juris facere decrevi ; eo tamen conſilio, ne tirones totam omnino Chirurgicam artem doceam, ſed obſervationes raras magis ſolum in medium afferam, a capite ad plantam uſque pedis. Quia vero non poſſunt omnia in memoriam revocari, nomen nempe patientum, tempus ægritudinis, & cætera ab auctoribus proponi ſolita, non mirum videbitur, ſi in pleriſque hæc prætermiſero, utpote qui ſpatio quinquaginta annorum, & ultra, quibus artem Medicam, & Chirurgicam profiteor, nullam harum obſervationum adnotarim: Quas itaque rudi ſtylo, benevolo tamen animo, tibi exhibeo, æqui bonique conſule, erudite lector.

Atque ut a capite incipiam, memini me curaſſe ſenem ſexagenarium, præſentibus Excell. D. Veſlingio, meo tunc diſcipulo, præclariſſimo ac eruditiſſimo Joanne Rhodio, multiſque ſtudioſis, qui cum noctù decidiſſet ex ſcala in caput, impegit in lebetem æneum, ſecuto inde vulnere, cum dilatatione futuræ coronalis, ut oſſa bregmatis digitis omnino undiquaque moverentur; ea vero parte, quæ cartilaginea in pueris ſolet eſſe, inveni oſſa fracta, quibus eductis, poſtmodum foramen magnitudine magnæ avellanæ ſuperſtes fuit, ex quo copia cerebri corrupti exivit; Æger vero infraſcripta hac methodo curatus, vixit decem, & plures annos ſanus.

A principio vulnus dilatavi ferramento incidente ; deinde eduxi oſſa illa fracta, unde membranæ manifeſtiſſimè apparuerunt laceratæ, & contuſæ; quæ putruerunt, cum cerebro ſub ipſis corrupto. Interim

terim ſupra membranas applicui mel roſaceum per duos, vel tres dies; poſtmodum oleum abietinum, cum melle roſaceo miſtum, ad detergendam & concoquendam materiam in ipſis, & cerebro hærentem, à quibus pro corroboratione portiunculam Balſami nigri Occidentalis, cum pauco oleo hyperici indidi; quod vero mirum, contuſum cerebrum ante applicationem medicamentorum, cum abſtergerem goſſypio, mane & veſperi, ejus portio prodiit, cœpitque medicamento præſcripto rubeſcere, ſupra quod caro genita fuit, operuitque totam partem læſam, ut ſolummodo filamenta imbuta unguento ex tuthia applicuerim, ſuperinjecto cerato ex diachalcitide; quibus ſpatio duorum menſium æger fuit feliciter ſanatus; adminiſtratis tamen prius univerſalibus, immiſſo ſcil. clyſtere, vena ſecta ex ſalvatella; necnon etiam per intervalla, cucurbitulis ſcarificatis & non ſcarificatis admotis, lenientibus, alterantibus, & diæta convenienti; verbo, omnibus illis peractis, quæ inflammationem, & fluxionem prohibere apta erant.

OBSERVATIO II.

Vulnus partis poſticæ capitis, cum fractura Cranii, & cerebri parte corrupta excreta.

ALIUM patientem quadragenarium curavi, vulneratum parte poſtica capitis, paulo ſupra ſuturam lamdoidem. Vulnus erat magnum ad quatuor digitos tranſverſos, os movebatur ad tactum, & membranæ cum cerebro erant ſciſſæ. Ab initio barbitonſor adhibuerat ſtupas

imbutas ovi albumine; ego verò ſequenti die vocatus, ſupra cerebrum appoſui filamenta arida tenuiſſima, membranis verò oleum roſaceum, quia erant inflammatæ, labiis vulneris digeſtivum roſaceum; poſtmodum linimentum ſimplex, cataplaſmata cephalica, & embrocationes ex oleo roſaceo undique circa partem læſam; atque in curatione quotidie goſſypio abſtergebam portiunculas cerebri vulnerati, & corrupti; a quibus aliquot poſt dies ſupra ipſum adhibui oleum hyperici; ex cujus uſu decimo quarto die exacto cœpit ſuccreſcere caro rubra: poſtmodum uſus ſum unguento ex betonica ſupra ipſam carnem, per aliquot dies, eo conſilio, ut hæc citius gigneretur. Tandem filamentis mollioribus, & cerato ex diachalcitide cicatricem induxi, ut ſpatio quinquaginta dierum fuerit perfectè ſanatus æger.

Animadvertendum tamen, quod in omnibus vulneribus cum capitis, tum aliarum partium, niſi fuerint parvi momenti, ſemper curatio inſtituenda eſt, quæ proſpiciat toti corpori, ſanguine ſcilicet educto, lenientibus, alterantibus, & purgantibus exhibitis, cum optima victus ratione, prout opus fuerit; quod etiam in hoc patiente diligentiſſimè factum fuit. Quod ſemel dixiſſe volo, nè in poſterum id fruſtra repetendum mihi ſit.

OBSERVATIO III.

Portio cerebri, cum annexa dura, & pia membrana, ex cranii Fractura educta.

CAROLUM Juſtachinum, civem Patavinum curavi, enſe ſauciatum ſupra caput, prope ſuturam

ſuturam ſagittalem, cum læſione cranii, & membranarum: prima ſiquidem lamina, & ſpongioſa erant ſeparatæ a vitrea, quæ latitudine ſuperabat craſſitiem digiti pollicis, longitudine digitum annularem. Hæc vero non ſolum ſeparata erat a prædictis partibus, ſed etiam contuſa, & ſimul cum dura menynge rupta, cui hæc lamina adhærebat. Tonſor a principio dilatavit vulnus, & appoſuit medicamenta accommodata, in ſuperiori obſervatione propoſita, quæ non repeto; ſequenti die, propter ſymptomata indicantia terebrationem, perforavi os, ex cujus foramine aliqua portio ſanguinis effuſi prodiit; applicui deinde medicamenta inflammationi & contuſioni ipſius membranæ, ut ſupra diximus, dicata, eadem methodo per aliquot dies; dum vero progreſſu temporis abſtergebam partes ipſas ſubjectas, goſſypio ſtylo obvoluto, vitream laminam hinc inde moveri percepi, ut coactus fuerim novam cranii perforationem primæ contiguam efficere, ut educerem vitream ſeparatam ab aliis partibus oſſis: verum omnia incaſſum, quia magnitudo ipſius vitreæ excedebat latitudinem foraminis facti: quare paravi forcipem validum ſatis, quo apprehendi ipſam laminam, atque ſingulis diebus portiunculam ipſius abſcidi; quam tandem diminutam volſella eduxi, cui annexæ erant membranæ, dura & pia, cum portiuncula ipſius cerebri: educta lamina, infudi vinum album alteratum betonica, matriſylva, ſtœchade, per aliquot dies, & ſpatio viginti dierum cœpit caro rubra apparere ſupra cerebrum, erumpentibus undique circa

omnes

omnes partes vulneratas oſſibus perforatis, & læſis; atque progreſſu quadraginta dierum circiter æger omnino fuit ſanatus, qui adhuc proſpera utitur valetudine.

OBSERVATIO IV.

Vulnus mediæ partis capitis, ad corpus uſque calloſum pervadens, cum magna vi ſanguinis effuſi, ad lipothymiam uſque, feliciter ſanatum.

FAMULUM quendam in nobiliſſima Zabarellæ familia ſanavi, cui vulnus fuit inflictum in parte media capitis, ubi cerebrum a falce dividitur, uſque ad corpus calloſum, vaſis ſectis, & ſinu falcato, adeo ut ad duas libras,& quod excedit, ſanguis effluxerit, ex qua evacuatione in lipothymiam incidit æger, ut mortuum adſtantes crediderint; me accito, patiens quaſi a ſomno profundo expergefactus, ſanguinem denuo effudit; ego vero ſtatim opplevi totum vulnus, quod æquabat longitudinem totius capitis, perveniebatque ut dixi, uſque ad corpus calloſum, goſſypio uſto, imbuto ovi albumine, bolo armena, ſanguine draconis; filamentis tandem aridis ſupra goſſypium, & ſtupa imbuta eodem ovi albumine, cum dictis pulveribus, unde ſanguis fuit firmatus, tertiaque tantum die ſtupæ, & filamenta arida, cum aliqua portione goſſypii uſti fuerunt ſublata, alia portione ejuſdem, cum pulveribus, quæ adhærebat vaſis, ſuperſtite, qui pulveres poſt decimam quartam paulatim fuerunt ſeparati, nec ſanguis amplius fluxit. Interim ſupra labia vulneris, ut

ſupra

ſupra dictum eſt applicui digerentia, ſupra cerebrum vero prædictos pulveres, cum filamentis aridis; a quorum uſu circa vigeſimam diem cœpit apparere cerebrum rubrum, & carne tectum; ut propterea adminiſtraverim medicamenta uſque ad perfectam ſanitatem ſuperius propoſita, quibus non ſine divina ope fuit, feliciſſime ſanatus.

OBSERVATIO V.

Vulnus magnum, cum paralyſi brachii oppoſiti, & linguæ, ſanatum, educto fruſtulo oſſis, cum portione membranæ piæ, & cerebri.

ANTONIUM Vendramenum, Patavini hujus Collegii Philoſophiæ Doctorem, multis vulneribus confoſſum fuiſſe memini, inter quæ, capitis duntaxat, obſervatione dignum erat, quod in parte ejus dextera totum cranium, & membranas ipſas penetrabat, adeo ut fruſtulum ipſius laminæ vitreæ, ubi fermè vulnus deſinebat, pungeret membranas, & cerebrum; ut propterea, præter alia ſymptomata his vulneribus communia, hoc fuerit huic proprium, paralyſis nempe in brachio oppoſito, & lingua, adeo ut nec loqui, nec brachium movere poſſet. Præter communia medicamenta, quæ a principio hujuſmodi vulneri conveniunt, ſequenti die terebravi cranium in media vulneris parte, nullo tamen juvamento, ſed iiſdem ſymptomatibus affligentibus, ut proinde novam terebrationem tentare ſtatuerim, ſed fruſtra; unde per aliquot dies appoſui ſupra membranas inflammatas oleum roſaceum, qua poſtmodum

MANCHESTER MEDICAL

dum ſublata; poſt ſeptimam nempè, oleum hyperici, necnon, quia calvus erat patiens, atque membranæ à calvaria diſtabant, quod in calvis ſemper obſervavi, paravi injectiones ad abſtergendas, & corroborandas partes ſubjectas, prius ex vino albo mulſo, poſtmodum eodem alterato medicamentis ſuperius propoſitis, curatis labiis, & aliis partibus, ſicuti ſupra dixi. Hæc tamen omnia in caſſum tentata, quia nec motus brachio, nec linguæ rediit ſpatio viginti dierum. Tandem alias duas molitus ſum perforationes, certior factus, læſas eſſe membranas, & cerebrum a fruſtulo aliquo oſſis vellicari, quod compertum; in ipſa ſiquidem operatione impegi modiolo in oſſis fruſtulum, quod volſella apprehenſum eduxi, cui annexa erat portio membranæ piæ, & cerebri, unde vix media poſt hora motum linguæ, & brachii recepit; repetitis proinde injectionibus, ad ſanitatem ægrum perduxi, medicamentis præſcriptis, qui vixit poſtea per multos annos incolumis.

OBSERVATIO VI.

Fungus ex capitis vulnere pulveribus ex ſpica, & ſchœnantho inſperſis, ſanatus.

IN conſilium vocatus, vidi patientem vulneratum in ſyncipite, cujus vulnus ad cranium uſque & duram menyngem pertingebat; cum vero ad ægrum aliquot poſt dies a vulnere inflicto reviſerem, obſervavi fungum avellanæ magnitudine. Conſului ut inſpergerent pulveres ex ſpica, & ſchœnantho, quorum uſu, ſequenti die attritus

attritus est, & brevi etiam propriis remediis vulnus sanatum. Quo remedio sæpius fungos sanavi, ac proinde tanquam arcanum vobis propono.

OBSERVATIO VII.

Epilepsia duos, aut tres menses, à vulnere cranii intempestivè obducto, terebratione sanata.

CONSULTATIONEM me habuisse aliquando memini cum præclarissimo D. Julio Sala Professore Patavino, de quodam vulnerato pugione in capite, cum læsione non solum cranii, & membranarum, sed & cerebri ipsius. Vulnus quibusdam Medicis exterius curatum fuerat, introducta quinetiam cicatrice, ex qua duobus, aut tribus post mensibus, Epilepsia correptus est æger, qua bis, aut ter quolibet mense divexabatur; quem cum Excellentiss. Sala interrogaret, an aliquando vulnus aliquod in capite passus esset, ipso vero id affirmante, specillo statim immisso, sub ipsa crusta inveni vulnus prædictum penetrans; unde illico deveni ad sectionem, & dilatationem partis, adhibita, sequenti die, terebratione, ex qua effluxerunt ichores quidem flavescentes; quorum ratione, supra cerebrum, & membranam, Balsamum nigrum occidentale viginti dies adhibui; quorum usu caro rubra cœpit succrescere, ægro spatio triginta dierum à vulnere, & Epilepsia liberato.

OBSERVATIO VIII.

Vulnus cum inſigni depreſſione frontis, eadem non ſublata, ſed rima tantum dilatata, triginta diebus ſanatum.

CURAVI puerum ſeptem annorum, cui in fronte ab ictu pedis equini facta fuit inſignis ejus depreſſio, quam nec triploide, nec vecte attollere potui. Verum quia in quadam ejuſdem parte aderat rima, ſcalpro abraſorio eam dilatavi, ex qua aliquæ ſeroſitates emanabant, ut medicamenta ad membranam uſque pervaderent, ex methodi lege applicita: a quibus decimaquarta die, genita hinc inde carne, melius habuit æger; qui tandem vulnere carne repleto unguentis ſarcoticis, ſpatio triginta dierum fuit omninò ſanatus, & optima hucuſque fruitur valetudine.

OBSERVATIO IX.

Vulnus poſticæ partis capitis, cum depreſſione oſſis, & contuſione, ſine terebratione perfectè ſanatum, in puella.

PUELLAM quandam ex familia Ridi obſervavi, quæ, cum ex ſcala decidiſſet, & parte capitis poſtica impegiſſet in ejuſdem lapideum gradum, inſignem depreſſionem oſſis paſſa eſt, cum contuſione tantum. Cum verò ejuſdem Parentes non concederent ſectionem, nec operationes in his caſibus perneceſſarias, ſed medicamenta duntaxat applicarent ad inflammationem, &

con-

contuſionem, præter Medicorum ſpem a natura fuit ſanata: ſuperſtite tamen inſigni depreſſione oſſis, ſine ulla tamen puellæ moleſtia; quæ adulta poſtmodum nupta fuit, & liberos procreavit; nuncque optime degit. Non proinde metuendum admodum pueris hoc modo contuſis, ob mollitiem ipſius cranii.

OBSERVATIO X.

Ex vulnere anguli majoris oculi maturius occluſo, aliud vulnus in cervice, cum febre, quæ ceſſavit, eodem patefacto, & curato.

RIGAIAM quendam nomine novi, pugione in angulo majori oculi læſum, ad quem ſtatim vocatus, obſervavi labia vulneris ſutura a Barbitonſore ad mutuum contactum adducta, nullo tamen moleſto ſymptomate, præter febrem ſatis vehementem. Ægrum vero cum interrogarem, an ſentiret dolorem in partibus internis, de eodem, & quidem gravi conqueſtus eſt in occipitis parte oppoſita cervici; qua inſpecta, deprehendi vulnus parvum in extremo occipite. Quapropter ſectis punctis, quibus labia adducta invicem jungebantur, ſpecillo demiſſo ad extremum uſque vulnus, ipſum occiput exploravi; ac proinde in ejuſdem partem anteriorem, & poſteriorem immiſſis exiguis turundis ejuſdem magnitudinis, quæ longitudine non excedebant craſſitiem duorum digitorum, ſupra has impoſui medicamenta digerentia, & deſuper ceratum ex ceruſa. Pure vero jam apparente bono, & laudabili, u-

ſus ſum unguento ex Betonica per aliquot dies; quibus tranſactis, cœpit ſuccreſcere caro; quare turundis decurtatis, atque decima quarta, ceſſante febre, iiſdem omnino eductis, filamenta imbuta unguento ex tuthia applicui, ſuperaddito cerato ex Diachalcitide; quorum uſu ſpatio viginti dierum fuit ſanatus æger; adminiſtratis a principio remediis univerſalibus ex methodi lege, ut ſupra dictum eſt.

OBSERVATIO XI.

Vulnus muſculi temporalis, cum fractura Cranii, & membranæ duræ, accedente febre viginti dierum, ſine terebratione feliciter ſanatum.

LANIO quidam fuit vulneratus in parte laterali capitis, cui ſecto muſculo temporali, cranio, & membrana dura, omnia ſymptomata, quæ ſolent alioquin in his vulneribus apparere, ſuborta ſunt; & quod gravius, cum tanta copia ſanguinis, ut lipothymia ſucceſſerit. Vocatus, vidi ipſum veluti mortuum; & quamvis ſanguis ad partes internas refluxiſſet, quod ſemper ſolet contingere in lipothymiis; adhibui tamen omnia illa medicamenta, quæ vim habent ſanguinem ſiſtendi, goſſypium nempe uſtum, pulveres aſtringentes, cum ovi albuminibus; quibus ejuſdem fluxus ſedatus eſt; ut propterea tertia tantum qualibet die vulnus detexerim, & unguibus, quam optime fieri potuit, ſeparaverim muſculum ab ipſo cranio; verum quia non erat terebrationi locus, & ſedes inſtrumenti erat valde ampla, per quam materia

ria effluere poſſet, abraſorio tantum ſcalpro locum lævigavi, ipſumque nonnihil dilatavi, ut nulla opus eſſet terebratione, materia purulenta obſtructis naribus, ex partibus ſubjectis vi propulſa. Initio vero inſtillavi oleum roſaceum, ad ſeptimam uſque diem; poſtmodum vinum album mulſum injeci, abſtergendis vulnere & partibus internis, atque aliquo modo corroborandis. Poſtea alia injectione uſus ſum ex vino albo, alterato medicamentis ſuperius propoſitis; quibus tamen ſpatio quadraginta dierum æger convaleſcere non potuit, quia materia ſanioſa continuo effluebat; cannulam propterea impoſui plumbeam, quæ materiam aſſidue effundebat, quam geſtavit duos menſes circiter. At quia hic patiens errabat continuo in victus ratione, vulnus non potuit ad cicatricem perduci, propter generationem copioſi puris: quinimo incidit in febrem, quam curavi viginti dies, vulnere non neglecto, cui applicui balſamum nigrum occidentale; præſcripta quinetiam diæta, ratione febris; quibus perfecte ſanatus fuit, necnon medicamentis alias propoſitis; ita tamen, ut miſer patiens, teſte Hipp. libro de Vulneribus capitis, quod & ego ſæpe in praxi obſervavi, non poſſet aperire totum os; quia ſecta parte muſculi temporalis, alia convellitur, unde poſtmodum impotentia illa os diducendi.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Contuſio gravis ſyncipitis, cum prolapſu in terram, & privatione facultatum principum, neglecta terebratione, lethalis.

DIVI Antonii Feſto, feneſtra lignea ſatis gravis ex alto decidit in bregma cujuſdam juvenis, cute tamen non ſciſſa, ſed graviter contuſa; ex quo caſu in terram prolapſus æger, ſine ſenſu, & motu, cum privatione omnium facultatum principum, horæ ſpatio; ad quem Medicus magni nominis, ſimul cum quodam Chirurgo vocatus a principio, applicuerunt medicamenta conſueta, ovi nempe albumen, oleum roſaceum, & ſimilia: ego vero accerſitus ſecunda die, ſtatim ad cutis ſectionem, & cranii perforationem deveniendum cenſui, renuentibus chirurgis me ſenioribus, nec non patre ipſius ægri Variſco: verum tantummodo præſcribentibus cataplaſmata, inunctiones, & alia externa remedia. Quindecim vero, aut ſexdecim poſt diebus, denuo accitus, cum viderem tumorem in parte læſa ſatis magnum, atque ſub digitis perciperem pus fluctuans, nedum tamen permiſerunt oſſis exciſionem; at iterum poſt vigeſimam vocatus, annuentibus tandem omnibus, ſectionem cruciatim adminiſtravi, ex qua maxima copia puris effluxit; cujus ratione ſummi illi viri terebrationem reprobarunt, niſi poſt quadrageſimam diem, hac obſervatione adducti; quod natura per poroſitates oſſis cranii purulentam materiam

teriam ſupra membranas, & cerebrum hærentem tranſmittebat; quod antea certe nunquam vidi; materia ſiquidem effluebat per poros, ad unciam unam quolibet die: quapropter ægrum cum terebraſſem, ex foramine cotidie copioſum pus emanabat; ipſo tamen ægro ſexageſima extincto. Huic ſimilem etiam caſum in cive quodam Patavino Merio, pila ferrea contuſo in capite, obſervavi, cum effluxu ſanioſæ materiæ per foraminula, & poros calvariæ; ad quem tertiò tantum inviſi, aliis medicis ad ejus curam vocatis, qui a principio, prætermiſſa terebratione, illi mortis autores fuerunt; quod moneo, ne in iſtos incidatis errores, ſi quando præ manibus habueritis hujuſmodi vulneratos, cum ſymptomatibus, quæ nobis demonſtrant partes internas læſas.

OBSERVATIO XIII.

Vulnus capitis, cum fractura oſſis ſyncipitis, & frontis, ſcalpro dilatata rima, poſt ſeptimam, ſanatum.

DELATUS quidam in valetudinarium D. Franciſci, poſt ſeptimam, vulneratus parte anteriori bregmatis, ad principium uſque oſſis frontis, cum ſectione membranarum: inſtrumenti tamen ſedes non admodum ampla, qua a medico propterea nonnihil ſcalpro dilatata, ex foramine ipſius vulneris ſeroſitates duntaxat effluxerunt, licet non copioſæ; quod vero febre continua laboraret æger, nullo alio ſymptomate moleſta, nec a principio quidem, præter hæmorrhagiam

giam narium, ad ſemilibram ſanguinis, neque materia poſſet liberè expurgari, ideo deveni ad perforationem oſſis: ex qua pauca materia ſeroſa excreta; undecima vero incidit æger in ſomnum profundum, lethargi æmulum, pulſu tamen valido, cui præſcripto victu tenui, cum pauco quandoque vino oligophoro, decima quarta veluti a ſomno experrectus, erumpente maxima puris copia ex naribus, cœpit loqui, cum delirio; cui proinde ſtatim inunxi partes internas & externas naſi, oleo amygdalarum dulcium, quo facilius laxarentur, ducta quinetiam per nares aqua hordei, cum manna: vulnere autem propriis medicamentis ſuperius propoſitis curato, vigeſima æger fuit liberatus a febre, nec materia ex naribus amplius fluxit. Hic autem obſervandus ordo ipſius naturæ; initio ſiquidem vulneris ſtatim ſanguis ex naribus fluxit, quam viam poſtmodum natura ſibi parante, totum pus in capite hærens expurgatur, ægro quadraginta diebus ſanitati reſtituto. Non itaque ægri, quamvis motu careant mortuorum inſtar, præſentibus quinetiam ſymptomatibus prædictis, ſine cibo, ac remediis ſunt dimittendi, cum in arte aliquando naſcantur monſtra, Averroe teſte.

OBSER-

OBSERVATIO XIV.

Vulnus capitis ſine fractura, & rima cranii, decima quarta lethale, ob copiam puris inter utramque membranam deliteſcentis, ex cerebri contuſione.

ALIUM vidi in eodem Noſodochio æſtate, parte media bregmatis leviter vulneratum, cute tantummodo & pericranio læſis, abſque ulla offenſa cranii. Hic patiens nullum paſſus eſt ſymptoma, neque morbi principio, neque die quarta; quem tamen ſeptima invaſit rigor inſignis, cum concuſſione totius corporis; quod remiſſo frigore incaleſcere cœpit, prout contingere ſolet in tertianis: ego vero poſt intermiſſionem febris, ipſum terebravi, licet nulla materia ex foramine effluxerit: cum vero membrana utcunque humore diffluereret, in illam infudi ſanguinem palumbi, ex ala ſtatim eductum, corroborando ipſius calori: qua tamen ſequenti die nigreſcente, applicui aquam vitæ ad undecimam uſque; tandem Balſamum nigrum occidentale, ægro tamen decima quarta extincto. Secto cranio, atque bene undique deterſo, & abluto, ac diligentiſſime ad ſolem quaquaverſum inſpecto, nunquam potui in eo rimam, aut aliam aliquam noxam videre; verum ſecta membrana dura, ſub vulnere, inter ipſam, & piam, maximam puris copiam deprehendi, non ſine admiratione, nullam fuiſſe rimam in oſſe, atque patientem nullum paſſum eſſe ſymptoma ad ſeptimam uſque; perinde ac ſi non fuiſſet

vulneratus; ut propterea ſeptima, illud ſympto-ma contigiſſe conjicere liceat, contuſione facta in membranis, & Cerebro; cujus cauſa aliquod vas fuerit diſruptum, ex quo ſanguis effluxit; qui cum omnium conſenſu, extra vaſa concreſcat, & putreſcat, ideo copioſa materia purulenta ſupra Cerebrum congeſta, fuit ægro mortis cauſa.

Dubitare vero hic quis poſſet, an ſecanda ſit dura menynx, quo exitus pateat ſaniei, ſupra piam, & Cerebrum collectæ; quod ſcilicet puncta dura membrana, convulſionum certum periculum immineat, ac proinde mortis: quod tamen nullum cenſemus, factis duabus terebrationibus oſſis, & patefacto uſque adeo foramine, ut longa ſectio fieri poſſit ſupra duram membranam: & quidem hac ratione, quia magna vulnera capitis, quæ non ſolum ſecant membranas, ſed etiam Cerebrum, ſanantur. Quando igitur certo conſtat, materiam inter utramque menyngem collectam eſſe, tunc tuto poſſumus devenire ad hanc operationem, utcunque periculi non expertem; cum alioqui nullo adhibito remedio, certa mors immineat, atque ex Celſo præſtet anceps remedium experiri, quam nullum, impiumque ſit relinquere ægrum remediis deſtitutum.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

Vulnus anterioris frontis, ad meditullium uſque lethale, citra ullam cerebri & membranæ labem, omnibus licet ſymptomatibus vulneris capitis præſentibus, cum hiatu ſuturæ lambdoidis, & materia ſanioſa intra ipſas ſuturas, & ſupra menyngem deliteſcente; præter alias obſervationes magni momenti in curatione vulnerum capitis cum fractura.

TERTIUM in eodem Xenodochio, parte anteriori frontis, pugione graviter ſatis vulneratum mihi videre contigit, cujus vulnus penetrabat uſque ad meditullium. In hoc omnia aderant ſymptomata vulneribus capitis communia; alienatio nempe mentis, vomitus, aurium tinnitus, & alia ab Hippocr. enumerata: & licet de dolore alicujus partis non conquereretur, ſecunda tamen die ipſum terebravi, ſymptomatibus hoc præſidium poſtulantibus, & membranam aliquantulum inflammatam deprehendi, cujus cauſa uſus ſum remediis ſupra propoſitis, ſpectantibus inflammationem: licet vero menyngem deprimerem, & patiens obſtructis naribus ipſam propelleret, nec quicquam, perforatione peracta, effluxiſſet, obiit decima quarta. Secta calvaria loco vulneris, nec membrana, nec cerebrum ullam noxam exhibuerunt, vitrea quinetiam illæſa; quanquam ſutura lambdoides laxata fuerit, craſſitie digiti auricularis, pauca materia ſanioſa intra ipſas ſuturas, & ſupra duram membranam deliteſcente.

Cui ſimilem caſum me nunquam obſervaſſe memini, licet contrafiſſuras in multis Calvariæ partibus viderim, non tamen in futuris; quanquam earum apud auctores proſtent exempla.

Circa quæ vulnera capitis nonnulla obſervanda. Primò quod ſi contingat ex aliquo ictu, incidere patientem in mentis alienationem, cum privatione ſenſus & motus, niſi alia ſymptomata ab Hippocr. enumerata accedant, nullum periculum vitæ immineat; ac proinde prætermittenda ſit quæcunque operatio, ſectio ſcilicet, & perforatio ipſius Calvariæ: vidi ſiquidem aliquos ex prolapſu, aut ictu læſo capite, apparente ſolo hoc ſymptomate, ſequenti die omnino liberatos. Secundò, eminentiæ rotundæ undique circa vitream laminam, oſſe terebratione educto, ſunt ſignum manifeſtum aciem modioli non perveniſſe ad membranam ipſam, neque perforationem fuiſſe cauſam mortis ipſi patienti; prout vice verſa, iiſdem non apparentibus, indicium erit membranæ læſæ, ac proinde lethale. Tertiò, animadvertendum non ſolum totam abradendam rimam, aut ſedem inſtrumenti, ad fundum uſque; verum ſi alterutrum deſcenderit uſque ad meditullium, omnino deveniendum eſſe ad terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate; hac ratione, quia materia purulenta ex labiis vulneris ad meditullium defluens, per ejus vaſa, ad membranam etiam penetrat, inter quam, & Cranium congeſta, patienti mortem infert; quod in pleriſque obſervavi, qui propterea adminiſtrata perforatione, omnes convaluerunt. Quartò, præter ſigna ab Hippocrate propoſita

propoſita, obſervandum, quod ſemper alvi fluxus vulneribus capitis accedens, abſentibus licet aliis ſymptomatibus, cerebri læſi ſignum eſt, propter ejus ſcilicet conſenſum cum nervis ſexti paris, qui orificiis ventriculi adnectuntur, quorum ratione inferius laxatur, & alvi fluxus ſtatim ſuccedit. Hi vero fere omnes moriuntur, ob læſum cerebrum parte interna, qua in ſpinalem medullam exporrigitur, ubi nervorum ortus; omnia tamen remedia in his caſibus ſtatim adminiſtranda, quæ ad artis opera ſpectant, ab Hippocrate propoſita. Quintò, obſervavi ſæpiſſime, quod quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cum pulmones, tum pleuram, aliquas nempe ipſorum partes, erodit, ex quibus multa ſanies emanat, quæ poſtmodum ad abdomen defluit, cum jecoris & lienis labe, in quibus varias puſtulas excitat, quibus diſruptis, perinde ac ex pulmonibus & pleura, ita & ex his materia purulenta effluit; quanquam hujus obſervationis ignari, exiſtiment, abſceſſus obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quod ex capite copioſum pus poſſe ad inferna viſcera delabi non ſibi perſuadeant; prout in pleriſque obſervavi, mediam thoracis & abdominis cavitatem pure fuiſſe refertam. Quam obſervationem multis tum in theatro Anatomico, tum in Valetudinario S. Franciſci demonſtravi. Sextò, obſervatione dignum, quod muſculus temporalis nunquam eſt ſecandus, contra multorum opinio-

opinionem, qui audacter id præcipiunt, quotieſcunque vulnus aut contuſio fuerit cum fractura oſſis, quod rationibus abunde probatur. Primò, quod plerique ſic vulnerati moriantur, Hippocr. ſententia; accedente propria experientia, qui obſervavi, muſculo temporali a quibuſdam barbitonſoribus perperam ſecto, quarta die patientes convulſos obiiſſe. Secundò, quod fracto oſſe ſub ipſo muſculo, omnino lethale ſit, ac proinde ſectio hujuſmodi ſit ſupervacua: quod & ego ſæpe vidi, & publice frequenti theatro demonſtravi, in quibuſdam, ſolam rimam in oſſe ſubjecto muſculo temporali repentinæ mortis cauſam fuiſſe, cum falſo Apoplectici haberentur, ſola præſente contuſione, quæ nonniſi gravis, cum oſſa ſubjecta frangit, & muſculum ipſum, tum partes internas ipſius cerebri, unde certa mors. Quod ſi ex ſymptomatibus nobis innoteſcant hæ læſiones, extra muſculum, parte ejuſdem decliviori ſectio facienda, ibique terebratio adminiſtranda, necnon lato poſtmodum ſpecillo deprimenda membrana ipſa, quo exitus puri pateat; atque ſi aliqua depreſſio adfuerit, vecte elevanda, &, urgente quandoque neceſſitate, totus muſculus tranſverſus ſecandus; quamvis periculoſiſſima ſit operatio. Verum hæc propono, quia vidi quoſdam ab hujuſmodi vulnere convaluiſſe, oppoſita parte licet convulſa, cum nec os ipſum multum patefieri potuiſſet: quam tamen operationem, nec ſuadeo, nec improbo; licet, ut verum fatear, nunquam eandem fuerim molitus, quod ægrorum plerique, ut dixi, moriantur antequam vocetur Medicus, dato tametſi

metſi, non conceſſo caſu, ab illa non me abhorrere profitear.

Si vero vulnus recto eidem muſculo inflictum ſit, digitis potius, & unguibus, quo commodius fieri poteſt, dilatandum, antequam ad abraſionem, aut perforationem deveniamus, & globulis ex filamentis ſiccis potius ſpatium illud conſervandum; quia etiamſi muſculus ſecetur ductu recto fibrarum, ſuboriuntur tamen ſæviſſima ſymptomata, cum vitæ diſcrimine; ut propterea ſatius ſit dilatare modo prædicto. Præterea in vulneribus capitis obſervandum, quod hæc non ſolum periculum minantur ad quadrageſimam uſque diem, ut vulgo creditur, ſed diutius quinetiam; cum ego ſæpius obſervaverim, quoſdam vixiſſe ultra tres menſes a vulnere inflicto. Quidam enim percuſſus ſolea equi ferrea menſe Junio, cum maxima contuſione capitis, abſque ullo tamen horum ſymptomatum, quæ in his vulneribus alioquin ſuboriuntur, cui licet ſecto loco contuſo, ſanguis extra vaſa effuſus eductus ſit, atque omnes partes contuſæ expurgatæ medicamentis propriis, vulnere, menſis ſpatio, anguſtiori reddito; nunquam tamen id ad cicatricem deductum, aliqua portione puris continuo emanante; quanquam læſio nunquam in oſſe apparuerit, nullumque ſymptoma: menſe tamen Octobri ſuborta eſt febris, cum rigore, & vomitu, atque quarta die ab his ſymptomatibus obiit æger. Aperto cranio, maxima copia puris inventa fuit ſupra membranas, & intra ſubſtantiam cerebri. Alium etiam vidi leviter vulneratum media capitis parte, non detecto oſſe, & nullo

lo apparente ſymptomate, qui a Chirurgis ſanatus, tribus poſt menſibus, quibus incolumis ſemper vixit, correptus fuit febre maligna, ſine ullo ſymptomate vulneris capitis; poſt ſeptimam dolor capitis ſubortus, loco vulneris inflicti tribus ante menſibus, in quo tamen jam ad cicatricem deducto, nihil apparuit, ægro decima quarta mortuo. Secta calvaria, modo jam dicto, pus ſupra membranas & cerebrum deprehendi; ut propterea vulgi opinioni credendum non ſit, poſt quadrageſimam diem, capite vulneratos, ratione vulneris, mori non poſſe.

TEREBRATIONEM vero capitis quod ſpectat, video contradictionem in libro Hippocratis de vulneribus capitis; hic ſiquidem capite vigeſimo ſecundo ſcribit, facta abraſione, ſi opus fuerit, *deveniendum ad perforationem ipſius cranii ante triduum*, tempore calido potiſſimum; cum vigeſimo nono ejuſdem expreſſe dicat, quod ſi a principio fuerimus vocati, perforationem oſſis uſque ad membranas non eſſe tentandam; quæ manifeſta eſt contradictio; quia ſi opus fuerit terebrare, quod patet ex ſymptomatibus vulneri ſtatim ſupervenientibus, membrana detegenda ante triduum, quo vapores calidi ab imminente inflammatione elevati exhalare poſſint, atque ejuſdem ſuppuratio prohibeatur, quæ neceſſario, neglecto hoc præſidio, ſuboritur, quæ & membranas & cerebrum corrumpit, cum vitæ diſcrimine. Accedit, quod non detecta membrana, cum nempe totum os non educitur, quamvis parum moveatur, ut inquit Hippocrates, ſignis apparentibus læſionis partium inter-

internarum, fruſtra fuerit terebratio illa, uſque ad vitream tantum, dum os ſponte ſua abſcedat: quia pus ſupprimitur, ſuccedentibus poſtmodum jam dictis ſymptomatibus; cum terebrationis nullus alius ſit uſus, quam ut materia purulenta intus concluſa per foramen effluat: ego ſiquidem obſervavi, quod ſi a filamentis incaute applicatis, aut goſſypio, vel fruſtulo aliquo oſſis pus coerceatur, membranæ, ſæpiſſime & cerebrum corrumpantur, ut dixi; quam ſolam ob cauſam perforationem præſcripſit Hippocrates, quo exitus materiæ purulentæ pateat; ut proinde abſentibus ſymptomatibus non ſit in uſum revocanda, cum nudata membrana periculi plena ſit; quia ex Hippocrate ab ambiente facile læditur; contra vero, ſymptomatibus apparentibus, ſtatim perforandum totum os, cum id ſuperſtes non poſſit ſeparari, niſi ſpatio viginti, aut quadraginta dierum plurimum, pure interim ſuppreſſo patientem interficiente; qua ratione adducor ut cenſeam, hæc non eſſe verba divini Hippocratis, ac propterea codicem corruptum; quæ Foeſii, diligentiſſimi ipſius interpretis, quinetiam eſt ſententia.

Hæc ſunt a me obſervata in vulneribus capitis; quibus ſuccedunt quædam obſervationes eorum, quæ non ratione vulneris, ſed ab aliqua alia cauſa contingunt.

OBSERVATIO XVI.

Cutis capitis, urſi unguibus, cum pericranio ad ſuturam uſque lambdoidem diſcerpta, ſanata, ſuccreſcente in ejus vicem alio tegmine illi analogo, cum capillis. Corteſius refellitur de perforatione cranii in futuris.

CUIDAM puero ſeptem annorum ex pædotrophio orphanorum Patavino ab unguibus urſi tota capitis cutis, cum pericranio ad ſuturam uſque lambdoidem, diſcerpta & dilaniata fuit; quem curavi primo medicamentis digerentibus vulneri admotis, oſſi vero nudato, filamentis aridis, quibus quindecim dierum ſpatio ex ipſis futuris, caro rubra repullulaſcere cœpit, & totum cranium velavit; epuloticis deinde cutis, aut illi quid analogum productum eſt, necnon trium menſium ſpatio, pili quoque, quod mirum, fruticarunt toto fere cicatricis ductu: quædam enim ſpatia iiſdem vacua relicta, propter callum ejuſdem partis. Fallitur proinde Corteſius, vir alioquin doctiſſimus, qui tractatu de vulneribus capitis, textu vigeſimo, mordicùs tuetur, pericranium nequaquam ortum ducere a dura menynge; cum ipſe in theatro anatomico publice ſæpius demonſtraverim, idem eſſe duræ matri continuum: quinimo idem auctor hanc profitetur ſententiam, perforationem nempe cranii ſupra ipſas futuras, abſque vitæ periculo fieri poſſe, contra Hippocratis mentem, qui deceptum ſe fateri non veretur, cum rimam, vel teli ſedem per-

perforaſſet ſuturæ loco, mortuo ægro, ut in hiſtoria Autonomi in Omilo, & Famulæ itidem in Omilo, ex capitis vulnere in ſuturis, mortuorum, patet; *lib.* 5. Epidemiorum, ut propterea non ſit omnino perforatio molienda ſupra ſuturas; quod ego longo artis uſu obſervavi, quoſdam ſcilicet, ab imperitis chirurgis, ſupra ſuturas perforato cranio ſeptima mortuos eſſe: quinimo ſi vulnus fuerit inflictum ſupra ſuturas, cum levi earundem labe, lethale plerumque eſt; quodque gravius, vidi etiam in laborantibus gummate Gallico, ſupra ſuturas, corroſis, a venefica qualitate, pericranio & cranio, atque deſtillantibus ichoribus in eo genitis ſupra duram menyngem, ſubortam convulſionem, & mortem. Ab hac ergo perforatione, non ſolum ſupra ſuturas cavendum, ſed etiam juxta ipſas, utpote pernicioſa & lethali, quod monuiſſe volui non ſolum propter Corteſium, magni alioquin nominis virum, ſed ut bono publico conſulam.

OBSERVATIO XVII.

Vulnus frontis amplum, ad oculos uſque pervadens, cum cæcitate derepente ſuborta, ſanatum.

MILES quidam Germanus, vulneratus ſica gravi & latiſſima, in parte frontis, ſecto ejuſdem oſſe, & cerebro fere uſque ad oculos, derepente cæcus factus eſt; vel fortaſſe ex ſectione opticorum nervorum, quod tamen ob vulnus altius deſcendens mihi ſpecillo explorare non licuit; vel, quod veriſimilius, ex vehementi illa concuſſi-

one, repletis nervis materia pituitoſa, quæ plerumque guttam ſerenam, Gr. Amauroſin, inducere ſolet. Hic autem patiens medicamentis ex methodi lege præſcriptis toti corpori, & parti affectæ dicatis, duorum menſium ſpatio convaluit ex vulnere, cæcitate tamen ſuperſtite, quanquam pupilla luciditſima appareret, ut in hujuſmodi morbo contingit.

OBSERVATIO XVIII.

Dolor capitis ſæviſſimus ex lue Venerea ſive gummate, in ſeptuagenario, repetita terebratione ejuſdem, ſæpius ſedatus, & recurrens per longa intervalla, cum gravibus quandoque ſymptomatibus; tandem eodem præſidio omnino ſanatus.

LÆDITUR quinetiam caput a multis aliis affectionibus, potiſſimum vero a gummatibus Gallicis, vel dolore intenſiſſimo ipſius; ut propterea meminerim me vidiſſe ſutorem ſeptuagenarium laboraſſe dolore atrociſſimo capitis ex lue Venerea ſive gummate, cujus cauſa, habita conſultatione multorum medicorum, unanimes ſtatuerunt, periculum faciendum fonticuli ſupra ſuturam coronalem, cujus ope aliquo temporis ſpatio liberatus a dolore: tribus, aut quatuor poſt annis in eundem, incidit, cum ſtupore, & mentis alienatione; quæ tamen ſymptomata ſolebant recurrere per intervalla, dolore in parte anteriore ipſius bregmatis, prope frontem potiſſimum, eum divexante.

Quam-

Quamobrem ſecui primò cruciatim cutim, & inveni os totum corruptum; quo propterea terebrato, effluxit maxima copia puris, unde aliquot poſt dies fuit liberatus æger a prædictis ſymptomatibus; habuit tamen foramen patefactum multos menſes, cum os eſſet corruptum, nec proinde caro ex meditullio poſſet ſuccreſcere, atque ipſum obſtruere. Tandem anno poſt circiter, dolor ſæviſſimus cœpit denuo ipſum divexare; cujus cauſa non longe a prima perforatione aliam molitus ſum, qua os nonnihil moveri ſenſi, atque, multa denuo materia purulenta expurgata, ab eo fuit liberatus; poſt duos vero, aut tres menſes, idem prolapſus eſt in ſomnum profundum, Lethargi inſtar, ad quem proinde vocatus, dum ſpecillo ipſum os explorarem, atque vacillare perciperem, illud eduxi ad magnitudinem ſcutati argentei, omnino carioſum, & ita corruptum, velut ſi decem annos ſub terra ſepultum fuiſſet; ſub ipſo autem cranio membrana non apparuit, ſed caro aliqua duriuſcula, rubra, & lævis, ut de ipſius vita metuerem, nudatis multa dura matre, & cerebro; expergefacto tamen a ſomno illo profundo, ſequenti nempe die, cum effluxu multæ materiæ purulentæ, appoſui ſupra membranam illam, tectam carnoſa quadam ſubſtantia a natura producta, ad ipſius cerebri tutelam, pannum ſericum rubrum, abſque ullo medicamento, quod omnino neque pus, neque alia materia ſupra illam carnem appareret, ſuperinjecto poſtmodum cerato Barbaro; quorum uſu æger decem, & plures annos ſuperſtes

ſtes fuit, hoc ordine ſervato, ſine ullo capitis dolore.

OBSERVATIO XIX.

Dolor immanis capitis ex lue venerea, decoćto ſudorifico quadraginta dies exhibito, neque aliis validioribus præſidiis cedens, terebratione capitis ſedatus, atque omnino ſanatus.

VILLICO cuidam ex familia Martinorum, dolore immani capitis correpto ex lue venerea, exhibui decoctum quadraginta dies, cum ſudore, nullo tamen, ab his remediis opportunis & validis, juvamento; ut propterea conſultatione habita cum præclariſſimo Joanne Dominico Sala, unanimes decreverimus eundem terebrare, ubi gravior dolor, altera ſcilicet parte. Facta itaque terebratione, tribus aut quatuor poſt diebus, cœpit dolor miteſcere, qui progreſſu viginti dierum fuit omnino ſanatus, ſuperſtite adhucdum, & incolumi ægro.

OBSERVATIO XX.

Hemicrania graviſſima in muliere, terebratione capitis ſanata, eo temporis ſpatio, quo patuit foramen; quæ recurrens, eodem obſtructo, nullis poſtmodum remediis ex methodi lege præſcriptis, expurgari potuit.

HEBRÆAM etiam quandam, laborantem Hemicrania ſæviſſima terebravi, quæ convaluit, dum foramen patefactum fuit, quo paucos poſt

poſt dies omnino obſtructo, in eundem delapſa eſt affectum; cujus cauſa, multis licet antea, & poſt quinetiam, a præclariſſimo Jo. Dominico Sala remediis ex methodi lege adhibitis, nunquam tamen patiens convaleſcere potuit.

De morbis Oculorum, Aurium, Naſi, &c.

OBSERVATIO XXI.

Meliceris anguli majoris oculi, ad pupillam protenſa, multis remediis fruſtra, curata magna arte cum folliculo ſecta, & extirpata, illæſo oculo.

JUXTA præſcriptum ordinem, ſupereſt ut ad oculos, aures, & alias partes obvias circa oculos, progrediamur. Curavi itaque quendam canonicum Polonum, laborantem meliceride, magnitudinis jujubæ, quæ a caruncula anguli majoris oculi ad totam pupillam porrigebatur. A multis, tentata curatio, medicamentis, decoctis ſcilicet, collyriis, & aliis hujuſmodi; omnia tamen octo menſium ſpatio incaſſum adhibita; cum vero me confuluiſſet, ipſum tumorem evellendum cenſui; quod cum reformidaret, ſpe tamen ſalutis operationem admiſit; quam ſtatim molitus ſum, corpore prius expurgato accuratiſſime ab aliis medicis. Paravi itaque hamulum, quo ipſam meliceridem perforavi, & manu apprehendi, altera vero forcipe eandem cum folliculo ſectione ſeparavi, tum a caruncula, tum a tunica adnata, & ipſa pupilla; atque ita totum tumorem eduxi, ſine ulla offenſa

ipſius

ipſius oculi; a quibus, ſtatim applicui goſſypium imbutum aqua roſacea, cum ovi albumine agitata, & portiuncula croci, patiente tres dies hoc modo faſcia vincto; adhibito poſtmodum collyrio ex aqua roſarum, & pulvere tuthiæ præparatæ; quibus ſpatio octo dierum omnino convaluit æger; increpante licet meam præceptore meo Fab. ab Aquapendente audaciam, cum tamen brevi ſpatio temporis id præſtiterim, quod alii medici non potuerunt perficere; idque præſentibus, præclariſſimo Joanne Dominico Sala, cum multis ſtudioſis.

OBSERVATIO XXII.

Fiſtula lacrymalis in puella, ſanata ſectione, cauſtico, aliiſque præſidiis, ex artis lege. Accedit, contra multorum ſententiam, vera & tuta fiſtulas lacrymales curandi methodus.

QUAMVIS omnes medicinæ & chirurgiæ ſcriptores, variam præſcribant curationem fiſtularum lacrymalium, ego tamen quædam a me obſervata proponam, licet ab aliorum methodo non aliena. Sanavi itaque puellam ſeptem annorum, Curti mercatoris filiam, ab incunabulis fiſtula lacrymali laborantem, cujus a multis fruſtra tentata erat curatio, hac ratione; ſecui fiſtulam ipſam, & quia puella non ferebat diutius hanc operationem, oſque erat corruptum, quod ſimplici propterea ſectione abradi non poterat, coactus fui illi adhibere cauſticum, mixtum cum unguento ex Betonica, & paulatim fiſtulam dilatare; quo totum

totum os corruptum eradi poſſet, quo ſublato, applicui ſupra os ſuperſtes filamenta arida, quouſque caro laudabilis ab ipſo excrevit: præmiſſa tamen digeſtione medicamentis propriis; poſtmodum ſupra labia vulneris unguentum ex tuthia, ſarcotici loco, propter continuum Ichoris fluxum ad angulum oculi; tandem induxi cicatricem cerato ex Diachalcitide, filamentis tenuiſſimis aridis: qua methodo multos curavi; quanquam occalleſcente ſinu, libentius inuſtionibus ferramento candente utar, ſi ægri admittant; utpote quæ callum non modo atterant, partemque ipſam corroborent, ſed etiam citius ſeparent os corruptum, quicquid ſentiant aliqui, perforandum ſcilicet os, quo materia illa purulenta per nares effluat, & cicatrix exterius obducatur; qui tamen fruſtra ſunt, quia os perforatum inurendum, ex illorum ſententia, quo foramen melius pateat, præbeaturque exitus puri; at quando os eſt corruptum, omnino removendum, cum alioquin fiſtula non poſſit ſanari, neque ad cicatricem deduci exterius; atque ita hæc curatio futura ſit palliativa, & intuta; præterquam quod hujus perforationis non alius ſit uſus, quam ut os perforatum & inuſtum, citius abſcedat, cujus loco natura carnem prius aliquam generat, quæ progreſſu temporis evadit calloſa & dura inſtar oſſis, qui curationis finis; quia cutis cum carne ſubjecta, quæ ab ipſo oſſe excreſcit, cum ipſa coaleſcit, atque ita fiſtula ſanatur; non vero foramine ſuperſtite, ex quo continuo emanat materia purulenta, cui antea patebat exitus ex angulo oculorum per foramina, puncta lacrymalia

dicta ; progreſſu ſiquidem viginti, aut triginta dierum circiter, os inuſtum & perforatum abſcedit, unde foramen obſtruitur a carne, ut dictum eſt, ex ipſo pullulante. Graviter proinde errant, qui exiſtimant, perforationem hoc commodum præſtare, ut materia per nares effluat, licet hujus ope os perforatum citius abſcedat ; obſervandum tamen, non eſſe perforandum os, niſi præſente maxima ipſius corruptione, quæ perveniat uſque ad cavitatem internam ipſius naſi ; ſola ſiquidem ejus ſuperficie corrupta aut alterata, ſat fuerit partem læſam ſcalpro abraſorio abradere, dum pars cutis coaleſcat oſſi ; quod tamen, fieri non poteſt, niſi ſanum fuerit, & incolume ; ejuſdem autem corrupti, & ſcalpro exciſi hoc vobis fuerit indicium, cum ſpatio decem, aut ad ſummum, duodecim horarum, caro illi accreverit, quod nonniſi facta abraſione contingit, coaleſcente fiſtula. Quod ſi poſt abraſionem nulla caro ſubcreverit, os corruptum adhuc ſubeſſe pronunciandum, quod proinde denuo abradendum, quouſque hæc ſigna omnino non appareant. Qua ratione feliciter ſemper, & tuto ſanavi fiſtulas lacrymales, non ſolum puerorum, ſed etiam adultorum ; qui cum plures ſint, eorum nomina referre ſuperſedeo, quæ in memoriam revocare difficile eſt.

Quia vero non omnes fiſtulæ lacrymales ſunt cum corruptione oſſis, ideo iſtæ duobus modis poſſunt curari ; vel inciſione ſola, & attritione calli, cum generatione carnis ; vel ſecundo, abſente callo, per compreſſionem ipſius partis, inſtrumento ab Aquapendente deſcripto, aut aliquo alio ſimili :

li: quæ, quia a pleriſque pertractantur, ſupervacaneum cenſeo repetere, cum mihi ſit animus, proprias tantummodo in medium adducere obſervationes, iis prætermiſſis, quæ paſſim ab omnibus proponuntur.

OBSERVATIO XXIII.

Vulnus anguli majoris oculi, inflictum manubrio flabelli, ſanatum, cujus, ſuborto tribus poſt menſibus tumore, ex palato portio fracta educta fuit.

MEMINI me curaſſe mendicum quendam, qui cum importune eleemoſynam peteret, æſtate, a nobili quodam Patavino, manubrio ventilabri fuit vulneratus in angulo majori oculi, tantoque impetu, ut portio ejuſdem, tres digitos longi, fracta in illo hæſerit, non conſpicua exterius, præter ſola ejuſdem fruſtula extra angulum prominentia, cum altera illius pars orbitam oculi fregiſſet, & ad palatum deſcendiſſet. Hunc autem cum in Noſodochio menſem integrum curarem, eduxi primo fruſtula illa, quæ in angulo ipſius oculi ſolummodo hæſiſſe exiſtimabam, unde collyriis prius arcentibus inflammationem, deinde exſiccantibus, cicatrice exterius inducta, diſceſſit veluti ſanus; qui tamen tribus poſt menſibus circiter acceſſit me, tumore ſatis magno in palato laborans, quem dum ſecarem, cultro impegi in flabelli manubriolum, quod volſella extraxi, impoſitis poſtmodum filamentis, primo imbutis ovi albumine, poſtero vero die, globulis intinctis melle roſaceo,

aliquot dies. Tandem melle roſaceo, & aqua hordei, quorum uſu omnino convaluit.

OBSERVATIO XXIV.

Atheroma inferioris palpebræ, interna parte, prope angulum majorem oculi, ab ortu genitum, avellanæ mole, in puella quinque menſium; ſectione extirpatum, & ſanatum.

PUELLAM quinque menſium curavi, cui ab ortu genitum fuit tuberculum ciceris magnitudine, parte interna palpebræ inferioris, prope angulum majorem oculi, quod ſpatio quinque menſium avellanæ molem æquavit, ex genere tumorum, quos *nattas* vulgo vocant; totus ſiquidem carneus erat, tenui folliculo involutus: quem propterea ſecui radicitus forfice, cum effluxu ſanguinis ad unciam circiter, qui fuit ſuppreſſus bolo armena, ſanguine draconis, ovique albumine, cum filamentis tenuiſſimis; cui poſtmodum applicui aquam roſaceam cum ovi albo conquaſſatam, & bolo armena in pollinem redacta; quibus ſpatio octo dierum fuit ſanata ægra, in hunc uſque diem incolumis.

OBSERVATIO XXV.

Tumor carneus palpebræ inferioris, prope angulum externum oculi, ſectione feliciter ſanatus.

SIMILI fere morbo laborabat quidem pater ex Franciſcanorum reformatorum cœtu, qui variis in locis curatus in caſſum, Neapoli nempe, Romæ,

Romæ, Florentiæ, & Genuæ, tandem meæ curæ ſe commiſit, qui tumorem vidi carneum in palpebra inferiori, prope angulum externum oculi obortum, inſtar acini uvæ. Præmiſſis itaque univerſalibus, humores noxios evacuantibus, forfice totum tumorem ſecui, applicato ſtatim ovi albumine, cum aqua roſacea: necnon poſt aliquot dies adhibita portiuncula viridis æris, erodendis quibuſdam fruſtulis radicum ipſius tumoris, in parte ſuperſtitibus; demum pulveribus exſiccantibus cicatrice inducta, perfecte ſanatus æger ſpatio viginti dierum.

OBSERVATIO XXVI.

Contuſio naſi gravis cum fractura, & comminutione oſſium ejuſdem, felici ſucceſſu ſanata.

PERCUSSUS fuit mercator quidam Patavinus gravi ligno ſupra regionem oſſeam naſi, a quo vulnere non ſolum ex altero oculo ſtatim humores effluxerunt, cum viſionis abolitione, ſed & ſenſuum, & motus, horæ dimidiæ ſpatio; quinimo os naſi comminutum fuit inſtar granorum milii. Vocatus, recepto motu & ſenſu, ſtatim impoſui lignum accommodatum naſi meatibus, digitiſque fracturam compoſui, & formam naturalem ipſi reddidi, poſtmodum ligno educto, turundam ex linteo, ovi albumine, & bolo armena imbuto, indidi, applicito exterius albumine ovi cum aqua roſarum, & portiuncula olei roſacei conquaſſato, ac ſupra oculum pulpis pomorum ſub prunis coctorum,

ctorum, cum caſſia nóviter extracta ſimul miſtis. Interim omnia adminiſtrata inhibendæ fluxioni, ſanguinis ſc. miſſio, ac medicamenta lenientia, alterantia, & purgantia, ex lege exhibita, prout in aliis vulneribus, & contuſionibus fieri conſuetum: poſtero die parti affectæ, turundarum vice, immiſi pennam anſerinam, obvolutam tela tenuiſſima, imbuta medicamento jam dicto, atque parti externæ applicui prædictum medicamentum, eodem ordine ſervato, uſque ad decimam quartam, inflammatione & tumore ex contuſione ceſſantibus: poſtmodum cum partes etiam internæ naſi læſæ eſſent, quo cicatrix calloſa illis induceretur, impoſui cannulam plumbeam illitam unguento ex tuthia, atque inſperſam pulveribus ex cornu cervi uſto, terra ſigillata, ac roſis rubris, quibus cicatrix inducta in iiſdem naſi meatibus: partibus vero externis applicui ceratum Diachalciteos, miſtum cum pulveribus boli armenæ orientalis: quorum uſu ſpatio quadraginta dierum æger omnino fuit ſanatus, eadem naturali, & concinna forma naſi illi reſtituta. Tandem oculo, ceſſante inflammatione, aquam roſaceam, cum pulvere tuthiæ præparatæ adhibui, ipſumque ſanavi, non citra tamen viſus abolitionem, ægro adhucdum in vivis agente.

OBSER-

OBSERVATIO XXVII.

Obſtructio utriuſque naris, altera quidem integra, a polypo ſpurio, carne ſcilicet calloſa ulceri ex contuſione externa accreſcente; alia vero imperfecta, feliciter ſanatæ.

CURAVI nobilem Germanum in ædibus præclariſſimi Joannis Rhodii, laborantem obſtructione integra alterius meatuum naſi, adeo ut altero quinetiam medio obſtructo ægre duceret ſpiritum. Hæc autem obſtructio cauſam habuit contuſionem inſignem naſi, dum puer eſſet, prout in hujuſmodi caſibus obſervavi, læſis ſcilicet externis partibus, lædi quinetiam plurimum internas; in quibus propterea ulcus progreſſu temporis ſuboritur, ex quo caro ſuccreſcit, quæ longo annorum ſpatio indureſcit, & aliquando polypus ſpurius evadit, educendus poſtea, modo ab Aquapendente propoſito, qui quandoque in oſſeam fere duritiem occalleſcit; prout contigit nobili huic Germano, illa parte potiſſimum, quæ omnino obſtructa erat. Facta itaque totius corporis purgatione, deveni ad Chirurgicam operationem, præſentibus multis Germanis ſtudioſis, & ipſum callum duriſſimum, ac partem obſtructam per cannulam, ferramento acuto ignito, ſpatio viginti dierum perforavi, ut commodius reſpiraret, idque multis diebus, cum patiens non poſſet ferre continuam inuſtionem: peracta operatione, appoſui globulum ex filamentis aridis, inductis poſt inuſtionem,

onem, butyro, illito quotidie naſo oleo, vel unguento roſato, arcendæ inflammationi; quamvis operatio valde moleſta eſſet, quod cum caro illa calloſa admodum ſuperficie tenus, & dura eſſet, hac attrita, ab inuſtionibus nobilis patiens ſævos pateretur dolores. Facta itaque perforatione, ut dictum eſt, & dolore ſublato medicamentis anodynis, impoſui turundam imbutam unguento ex tuthia, quo ſenſim induxi cicatricem, quæ ut firmior evaderet, inſperſi turundæ pulveres ex bolo armena orientali, & cornu cervi uſto, cum portiuncula thuris; quibus adeo cicatrix occalluit, ut nunquam pars amplius coaluerit, patente naturali meatu. Sanata vero obſtructione alterius meatus naſi, deveni ad aliam partem, non omnino obſtructam, per quam nonnihil ſpiritus ducebat æger; ut propterea eodem tempore utrumque meatum curare abſtinuerim, quo commodius reſpiraret. Hanc vero partem citius ſanavi, utpote non admodum calloſam, duabus ſcilicet, vel tribus inuſtionibus, per cannulam ampliato meatu ad figuram naturalem, omnibus alioquin peractis ut in prima curatione; quibus quinquaginta dierum ſpatio æger omnino fuit liberatus.

OBSER-

OBSERVATIO XXVIII.

Caro totum meatum auditorium ad tympanum uſque obſtruens, ac durior, ab ortu, in adoleſcente 14. *annorum, purulenta & fœtida ſeroſitate manans, ſanata, auditu abolito reſtituto.*

ADOLESCENS quatuordecim annorum, Lendenarienſis me convenit, qui ab utero matris laborabat obſtructione alterius auris, a carne quadam denſa, nonnihil tamen circumcirca eroſa, quæ aſſidue ichorem purulentum cum fœtore effundebat, totumque meatum auditorium obſtruebat, uſque ad membranam tympani. Facta expiatione totius corporis, deveni ad operationem Chirurgicam, parato inſtrumento inſtar volſellæ, intus cavo, prout Aquapendens ad polypos extrahendos effinxit; quo ferramento ſæpius in aurem immiſſo, ſenſim ac ſenſim fere totam carnem luxuriantem eduxi; atque alio poſtmodum candente, per cannulam inſinuato, particulas carnis ſuperſtites inuſſi, adhibitis medicamentis cruſtas removentibus; tum exſiccantibus induxi cicatricem, ſanitatique ægrum reſtitui, auditu incolumi, qui antea abolitus fuerat.

De Morbis oris, linguæ, & faucium.

OBSERVATIO XXIX.

Cancer exulceratus labri inferioris maxillæ, in ſene octoginta quatuor annorum, ſectione ſanatus; tribus poſt annis in faucibus ſoboleſcens, cum morte ægri. Accedit cancri exulcerati hiſtoria, in muliere ſeptuagenaria, ſolo uſu unguenti ex ceruſa, ſanati.

SENEM Salodienſem, octoginta quatuor annorum, laborantem cancro exulcerato in labro inferiori oris, magnitudine medii ovi gallinacei, curavi; quem licet præmonuiſſem, morbum fore inſanabilem, admiſit tamen, imo rogavit, ut ipſum ſecarem. Præmiſſa itaque totius corporis purgatione, hunc novacula incidente radicitus reſecui, ſanguine cum impetu erumpente, quem, ad decem circiter uncias data opera effuſum, abſque ulla poſtmodum inuſtione, verum goſſypio tantummodo uſto, pulveribuſque adſtringentibus, firmavi. Digerentibus vero prius medicamentis aliquot dies uſus, ex ipſo vulnere optimum pus emanavit, indicio, totam ſubſtantiam cancri eſſe ſublatam; atque unguento poſtmodum ex ceruſa camphorato ducto in plumbeo mortario, ſpatio viginti dierum cicatricem induxi, incolumi ægro tres annos, abſque ulla moleſtia; a quibus novus cancer ſubortus in faucibus, ex quo brevi ſpatio temporis obiit, præter omnem meam opinionem, qui exiſtimabam ex ætate humorem melancholicum aduſtum

aduſtum iterum ſuccreſcere non poſſe, novi cancri in alio loco cauſam; prout fere ſemper contingere ſolet; omnium autorum ſententia, quod ſcilicet cancer in aliqua parte avulſus, in altera progreſſu temporis ſuboriatur; firmabatque meam opinionem, quod in praxi viderim mulierem ſeptuaginta annorum, famulam Collegii D. Catharinæ, cancro exulcerato naſi laborantem, cui præſcripſi idem unguentum ex ceruſa; potius ad dolorem ſedandum, quam curationis cauſa; quæ tamen præter ſpem, menſis ſpatio, nullo alio remedio adhibito, fuit perfectiſſime ſanata, vixitque multos annos eadem firma valetudine; quod cenſui contigiſſe, ratione ætatis, prout in ſene illo futurum rationi conſentaneum erat. Et quamvis hæc curatio non ſolum a me ſit in uſum revocata, ſed a pleriſque, ut dixi, autoribus; quia tamen raro contingit, cancros exulceratos omnino ſanari, nec amplius ſoboleſcere, ut in fœmina illa, ideo hanc obſervationem aliis adſcribendam cenſui; quamvis in ſene illo cancer in faucibus triennio poſt repullularit, quod forte non contigiſſet, ſi quolibet ſexto menſe remedia adhibita fuiſſent, humorem melancholicum ſpectantia, eundemque expurgantia.

OBSERVATIO XXX.

Cancer exulceratus labii inferioris, ovi palumbi mole, ſectione perfecte ſanatus.

ALIUM quoque quadraginta annorum circiter in Noſocomio ſancti Franciſci Patavii, laborantem cancro exulcerato labii inferioris, magnitudine ovi palumbi, eodem modo quo ſuperius, ſanavi; a principio tamen præſcripta, vere & autumno, purgatione humoris melancholici, atque ejuſdem alteratione refrigerantibus, & humectantibus; quanquam idem quatuor poſt annos in eodem Noſodochio ex febre maligna obierit, cancro tamen in nulla alia parte corporis ſuborto; ut propterea aliquando non ſit omnino abjicienda ſpes ſanationis iſtorum morborum: dicti ſiquidem patientes medicorum præceptis ſi obtemperaſſent, forſan non obiiſſent.

OBSERVATIO XXXI.

Tumor meliceris, a parte ſub lingua, ubi raninæ, ſenſim per partem dextram colli, juxta jugulares venas, & carotides arterias, ad fauces exporrectus, reſpirationem intercipiens, ſectione perfecte ſanatus.

LINGUA pluribus morbis tentatur, ſoluta ſcilicet continuitate, ac variis tumoribus, in quibus quendam curavi obſervatione dignum, meliceridis nomine, in reverendo patre Theatino, Hie-

Hieronymo Capite Bovis Mutinenſi, cui ſub lingua, ubi venæ raninæ, & tumores ranulæ dicti ſuccreſcunt, obortus fuit tumor, de genere quidem ranularum, non legitimus tamen, qui ex continuo affluxu materiæ, paulatim crevit ad magnitudinem ovi, ſenſim exporrectus per latus dextrum colli, juxta jugulares venas, & carotides arterias, ad fauces uſque infra tonſillas, & œſophagum, qui aſperam arteriam adeo graviter comprimebat mole ſua, ut ni chirurgus quolibet menſe, eo patefacto, materiam contentam eduxiſſet, periclitaretur æger intercepta reſpiratione & impedita deglutitione, ad vitam plane neceſſariis. Multi vero tentarunt curationem ſectione ſola ipſius tumoris, cum patientis quidem aliquo levamine, non perfecta tamen valetudine: cum menſe poſt circiter tumor in eandem magnitudinem excreverit, cujus cauſa reverendus æger, metu ſuffocationis Patavium venit, & meæ curæ ſe commiſit; cui præſcripto primum omni revulſionum genere, per totius corporis purgationem, & ſanguinis miſſionem, ſtatim deveni ad partem affectam, tumoremque cultro longa ſatis ſectione, in inferiori parte patefeci, multis venarum ramulis data opera diſruptis, a ranulis diffuſis, quo folliculus contabeſceret, intercepto nutrimento; in quem poſtmodum immiſi craſſam & longam turundam, imbutam ovi albumine conquaſſato, ad tumoris uſque fundum; ſequenti die, alia facta ſectione, & quidem ampla in collo exterius, parte, qua deſinebat tumor, illæſis interim vaſis majoribus, turundam pariter indidi vulneri æqualem, intinctam ovi albumine, ſuper-

ſuperaddito goſſypio uſto, cum pulveribus ex ſanguine draconis, & bolo armena, ſanguini copioſe ſatis fluenti ſiſtendo. Sexto vero poſt die, nullo amplius periculo inflammationis imminente, intra os, & exterius in collo totum folliculum ferramento candente inuſſi; atque removendæ, ac detergendæ eſcharæ in parte externa digeſtivo uſus ſum ex terebinthina & butyro lotis aqua roſacea, vitello ovi, & oleo ſambucino; parte vero interna, globulis melle roſaceo imbutis. Laudabili vero pure apparente turundas inunxi unguento ex Betonica, iiſdem in dies decurtatis; interius vero applicui filamenta inſperſa pulveribus ex tuthia, cornu cervi uſto, & terra ſigillata; quibus ſpatio quadraginta dierum æger omnino ſanatus eſt, nunquam amplius recurrente morbo.

OBSERVATIO XXXII.

Lingua ex vulnere ſclopeti curatio, partibus ſubjectis arcte coaleſcens, cum impedita locutione, perita ſectione ſeparata, ac reſtituta.

VIR quidam ruri degens, vulneratus ſclopeto mandibula inferiori, cum ejuſdem fractura, a ruſtico chirurgo curatus, digna certe medico curatio; cum enim in his vulneribus pus erodat plerumque propinquas partes, patiens non omnino fuit ſanatus; quod cum globulus utramque partem mandibulæ inferioris trajeciſſet, lingua parte inferiori, non ab eodem, ſed a pure fuit corroſa; prout & pars inferior ipſi ſubjecta, cui eadem

ita

ita annexa erat, ut patiens ne minimum quidem ipſam, non ſolum exerere, ſed nec movere, ac loqui poſſet. Curatione itaque ſuſcepta, ut linguam ad naturalem ſtatum reducerem, novaculæ acie paulatim ſejunxi ab invicem partes ipſas conjunctas, ſectione ſenſim quindecim dies continuata, qua ægro loquela integra reſtituta eſt, impoſito tantum ſub lingua, a ſectione, linteolo imbuto ovi albumine cum pulveribus boli armeni orientalis, necnon uſu aquæ hordei quotidie cum ſyrupo diamoron, ratione doloris & inflammationis; quandoque vero lactis, dolore urgente; quibus ægrum ſanavi.

OBSERVATIO XXXIII.

Tumor carneus, & ſchirroſus ad raninas, cum impedita locutione, & motu linguæ, ſectione & inuſtione ſolerti ſanatus.

ALIUM nobilem Veronenſem ſanavi, laborantem tumore ſub lingua, ubi raninarum ortus, magnitudine avellanæ majoris, duro, ſed carneo, qui impediebat locutionem, & motum ipſius linguæ; nulla cavitate, neque alia materia incluſa, quam carnea, qua conſtabat: verbo, tumor fuit potius ſchirroſus, quam alterius generis; doloris quippe expers, præterquam, remediis adhibitis. Facta itaque totius corporis expurgatione, deſcendi ad operationem, qui cum nec manubriolo, nec novacula, propter tumoris duritiem poſſem ipſum abſcindere, paravi inſtrumenta illi ſecando,

cando & inurendo accommodata, quibus menſis ſpatio eundem radicitus extirpavi, appoſitis ſolis pulveribus adſtringentibus cum ovi albumine, prout in caſu ſuperius propoſito; ſedato dolore, ac prohibita inflammatione ab inuſtione, & ſectione anodynis & medicamentis propriis; quorum uſu omnino æger convaluit ſpatio duorum menſium.

OBSERVATIO XXXIV.

Tumor gingivæ, ſub quo, non ſolum dens, ſed & ejuſdem alveolus, cum parte mandibulæ inferioris, uſque ad os jugale, corrupta, ubi ſubortus novus tumor, qui ſectus, patefecit labem, qua abraſione ex inuſtionibus ſuperata, æger ſanitati fuit reſtitutus.

TUMORES quidam in gingivis aliquando oriuntur, parulides a Græcis vocati, ex ſanguine, qui ante ſuppurationem dolores graves inferunt, atque ſuppurati, niſi diſrumpantur, alveolos dentium corrumpunt, unde plurimum fiſtulæ, quæ abſumunt partem non ſolum alveolorum, ſed mandibulæ quinetiam; prout ſuperiori anno præ manibus habui Monachum quendam juvenem Divæ Juſtinæ, cui obortus tumor in gingiva, ſub qua dens non ſolum corruptus fuit, ſed & alveolus, cum parte mandibulæ inferioris, inſigni adeo labe, ut pertingeret ad os uſque jugale, ubi ſubortus fuit tumor inſignis, qui a me ſectus maximam copiam puris effudit; quem cum aliquot poſt dies ſpecillo explorarem, inveni oſſa prædicta omnino corrupta, erumpente per foramen eodem pu-

re

re ex cohibito in ore ſpiritu. Curationem itaque molitus ſum ſcalpris prius abraſoriis; verum quia os erat corruptum uſque ad alveolos inferiores dentium, pluribus propterea inuſtionibus inurendum fuit, foramine patefacto uſque ad ſeparationem ipſius, quo educto, ad cicatricem locum deduxi. Quæ monuiſſe volui, ne ſuppurationem horum tumorum expectetis, a qua facillime corrumpuntur hæc oſſa, & oriuntur fiſtulæ inſignes, ægreque ſanabiles; ut propterea apparentibus his tumoribus in gingivis, ante ſuppurationem ſtatim ſint ſecandi ſcalpello, & quidem longa ſectione, quo ſanguis confluxus ad ipſam gingivam evacuetur. Qua ratione prohibebitis omnes prædictas affectiones; quod tum propria experientia, tum aliena firmatum; facta ſiquidem ſectione, & evacuato concluſo ſanguine, abſque ulla medicamentorum ope, ſola ſaliva natura ſectionem ſanat, ceſſante, quarta poſt horæ parte, dolore.

OBSERVATIO XXXV.

Meliceris colli prope aſperam arteriam, & venas jugulares externas, in cujus diſſecto folliculo alius ejuſdem generis tumor, ſed minor, delituit, ſua & ipſe membranula concluſus.

REVERENDUS Theatinus Genuenſis, ex familia Spinolæ, laborabat tumore colli, magnitudine ovi gallinacei, prope aſperam arteriam, & venas jugulares. Habita conſultatione cum viris præclariſſimis, ſtatuimus unanimes, tumorem

eſſe meliceridem, quo tamen diſſecto nil aliud effluxit, quam ſeroſitas quædam flaveſcens; quod vero mirum, ſeparato folliculo a tegumentis communibus, eoque ſecto, quo melius radicitus educeretur, ſub eodem deprehenſus alius tumor, ſuo & ipſe folliculo obductus, eadem materia repleto, alio minor, qui ſectus tandem ſeroſitatem flavam effudit. Hic vero ita excipiebatur a primo folliculo, ut videretur veluti innatare materiæ illi incluſæ, quem cum tranſverſum forfice ſecarem, ac ſimul ramulum jugularis externæ ad nutritionem ipſius tumoris exporrectum, quo facilius folliculum extraherem, maximo impetu ſanguinis copia erupit, quem tamen facili negotio digito, goſſypio uſto, & pulveribus adſtringentibus ſuppreſſi, adeo ut ne ejus quidem guttula amplius effluxerit; cum vero folliculi reliquum nec forfice, nec cultro auderem abſcindere, & extrahere, propter venas, & arterias ſubjectas, digeſtionem prius tentavi digeſtivo roſaceo; atque inflammationis metu a ſectione, applicui oleum roſaceum circumcirca vulnus, & linimentum ſimplex. Facta digeſtione, ſuperſtite adhuc aliqua portione folliculi, tenuiori, & ſubtiliori ejus parti adhibui præcipitatum pulveriſatum, craſſiſſimæ vero, portiunculam cauſtici, atque paulatim ſine ulla effuſione ſanguinis ambos folliculos abſumpſi; ſarcoticis poſtmodum cavitate carne inducta, & cicatrice epuloticis obducta longitudine digiti indicis; quibus feliciter fuit ſanitati reſtitutus æger, non ſine præmiſſa totius corporis expiatione, ex methodi lege.

OBSER-

OBSERVATIO XXXVI.

Tumor colli inflammatorius in puero menſem nato, cum læſa deglutitione, quatuor cucurbitulis cum ſcarificatione ſcapulis, & infra eaſdem, adhibitis, ſanatus. Aliquot exempla venæ ſectionis feliciter adminiſtratæ in pueris acuto morbo laborantibus.

PRÆTER alios tumores colli ab omnibus autoribus deſcriptos, vidi in infantulo menſem nato, nunc Canonico Patavino, inflammatorium, externum ad glandulas bronchiales. Tumor hic progreſſu duorum dierum ita adauctus fuerat, ut nobilis infans non poſſet lac deglutire, cum proximo vitæ periculo; cui cum adhibitæ frictiones, & lotiones pedum, leviores forent pro magnitudine morbi, præſcripſi ſtatim quatuor cucurbitulas parvas, vulgo *cornetti* dictas, duas ſcapulis, duas vero infra eaſdem applicandas, tribus tantum, & quatuor ſcarificationibus adhibitis, & educto ſanguine ad uncias duas; quarum uſu tumor paucas poſt horas imminutus, ac ſenſim & ſenſim ſublatus, & feliciter ſanatus eſt, lethalis alioquin.

Neque metuendum hoc genus præſidii in tenella adeo ætate, præſente potiſſimum morbi magnitudine; cum ſæpius ego, ſecta quinetiam vena, ſanguinis miſſionem præſcripſerim, & quidem primo ex ſalvatella ejuſdem lateris, nobili Patavino ex familia Tergolina, decem annorum, pleuritide graviſſima laboranti, qui hoc præſidio ſub veſperam ſequenti die fuit liberatus, & omnino convaluit; quod contigit & alteri nobili Patavino ex fa-

milia Ridi, annorum ſeptem, laboranti itidem pleuritide, cum vehementiſſimo dolore pungitivo; cui educto pariter ſanguine ex ſalvatella, ad ſex uncias circiter, ceſſavit dolor, cum febris remiſſione; qui, aſſumpto poſtmodum ſyrupo roſaceo, cum manna, quarta integre ſanitati fuit reſtitutus: quo præſidio quinetiam uſus ſum in aliis pueris angina laborantibus, hac ratione adductus, & propria experientia, quod quampluribus pueris trium, quatuor, vel quinque annorum, vulneratis, aut ſaxo, aut cultello, vel aliquo alio inſtrumento, ſanguinis libra effluxerit aliquando; atque illi potiſſimum, cui ex ſecta arteria muſculi temporalis magna vis ſanguinis erupit; quem tamen juxta cum aliis ſanavi citra ullum in facultate auctrice detrimentum: quinimo ipſorum aliquos novi, adhucdum ſuperſtites, robuſtos, pingues, & carnoſos; ut propterea in morbis cum vitæ diſcrimine, præſente indicatione venæ ſectionis, hoc præſidium non ſit reformidandum.

OBSERVATIO XXXVII.

Fiſtulæ colli anterioris infra laryngem, ex tumore a barbitonſore intempeſtive ſanato. Obſervanda in curatione vulnerum colli, ne venæ jugulares, & carotides arteriæ lædantur.

MULTAS ſanavi fiſtulas colli, potiſſimum vero qua laboravit adoleſcens quatuordecim annorum, in parte ejuſdem anteriori, infra laryngem, oborto primum ex contuſione tumore, cui a barbitonſore ſanato, ſuperſtes fuit fiſtula inter

ter utrumque annulum aſperæ arteriæ, cum læſione utriuſque cartilaginis, ex qua ſpiritus efflabatur. Habita itaque prius totius corporis ratione, medicamentis humores peccantes purgantibus, deveni ad topica; & primo quidem quatuor integumenta dilatavi, turunda ex ſpongia; deinde ſcalpro abraſorio partes ipſas cartilagineas utrinque læſas accurate abraſi; tum filamenta arida ſupra eaſdem applicui; poſtmodum unguento Iſidis, quod occaleſcere cœperat in parte carnoſa, attrivi. Tandem globulis ex filamentis, imbutis unguento ex tuthia, cum unguento Iſidis, cavitatem opplevi; atque ſenſim & ſenſim imminutis globulis, cerato ex Diachalcitide, cum filamentis aridis cicatrice fiſtulam obduxi.

Hic autem obſervandum, quod ſi vulnera colli punctim inflicta fuerint, nec ſtatim mortem inferant, pro ſigno hoc habendum ſit, venas jugulares, & arterias carotides illæſas eſſe, ac propterea maxima cautione curanda; quia licet non pervadant totum collum, turunda tamen non eſt immittenda longa, craſſa, ſed breviſſima, quæ integumenta non excedat, quæ principio imbuenda ovi albumine, ſuperinjecto poſtmodum linteolo duplicato per totum collum, eodem ovi albo intincto, cum bolo armena, & ſanguine draconis: educto deinde ſanguine, pro virium tolerantia, atque exhibito medicamento leniente poſtero die; a quibus, per duos dies non immutanda remedia parti vulneratæ adhibita, cum ſolum linteolum ex uſu ſit ſæpiſſime, quotidie prædictis pulveribus cum ovi albumine inductum. Victus ſit ſolum ptiſana hordeacea

deacea bis per diem exhibita; potus vero aqua hordei pauca copia; quod ſi deinceps inflammationis metus ingruat, ex altero brachio ſanguis ducendus, juſta quantitate; atque urgente dolore, viribuſque permittentibus, affigendæ quinetiam cucurbitulæ ſcarificatæ: omni quippe ingenio, & arte prohibenda generatio puris, utpote quod venas, & arterias corrodat, cum mortis præſenti periculo; prout obſervavi in quibuſdam ab imperitis male curatis, dum intruderent turundas longas admodum, a quibus puris copia congeſta, venas, & arterias conſumpſit, mortiſque cauſa fuit; ut propterea duobus aut tribus poſt diebus, removeam turundam illam brevem, applicato deinde linteolo inducto cerato ex ceruſa; repetito alio perinde duplicato eodem modo, pulveribus prædictis, cum ovi albumine inducto, quibus, ſpatio octo, aut ad ſummum decem dierum, hæc vulnera ſanare conſuevi; ſervata tamen ſemper diæta tenuiſſima, ne humores ad partem vulneratam confluant, atque in purulentam materiam converſi vaſa erodant.

Quod ſi vulnus trajiciat collum, hac methodo utor, impoſita ſcilicet breviſſima turunda utrinque eodem modo, quod ſuperius propoſui. Animadvertendum præterea, hæc vulnera nunquam eſſe tentanda ſpecillo, ne, quod facile contingere poteſt, diſrumpatur vena, aut arteria, cum vitæ proximo periculo. Qua methodo multos ſanavi, multoſque quinetiam mortuos vidi, diverſa ab hac curatos.

De morbis Thoracis.

OBSERVATIO XXXVIII.

Duæ fiſtulæ ſub axilla, variis remediis fruſtra tentatæ, igne actuali feliciter ſanatæ.

QUIDAM laborans duabus Fiſtulis profundis ſub axilla me acceſſit, variis fruſtra tentatis remediis; quippe, quæ cum ad ſubjectas uſque coſtas penetrarent, inciſiones proinde non admittebant ſine vaſorum læſione, ac præſenti vitæ diſcrimine. Cum autem medici uſi fuiſſent primo corroſivis; poſtmodum vero compreſſionibus, ligaturis & hujuſmodi præſidiis, incaſſum tamen; ego, corpore jam expurgato, ſtatim ad operationem me accingens, utramque fiſtulam ad fundum uſque inuſſi, ferramento candente, abſque cannula, repetitis vicibus, donec omnino, & æqualiter toto fiſtularum ſinu callus attereretur; eſcharæ vero detergendæ, turundis primo longis, & craſſis, butyro illitis, poſtmodum digeſtivo uſus; pure vero apparente laudabili, alias immiſi, inductas unguento ex Betonica, quas quotidie breviores paravi, quibus omnino remotis, pulvino ex linteolis ſub alis, compreſſa parte ligatura ſatis arcta, ſpatio viginti dierum ægrum ſanitati omnino reſtitui.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIX.

Qua ratione curandæ fiſtulæ thoracis, eum labe ipſius oſſis ſterni, quod abraſione ſolum, nonnunquam vero inuſtione, tentandum.

FISTULAS ſæpiſſime præ manibus habui, ex abſceſſu, aut vulneribus ſuperſtites, quæ aut corruperant, aut aliqua ſaltem labe affecerant os ipſius ſterni, ex abſceſſu potiſſimum, ratione redundantis puris; quo caſu, amplianda fiſtula, aut ferramento incidente, ſi opus fuerit, aut turunda ex ſpongia; tota poſtmodum pars oſſis corrupti abradenda, dum caro laudabilis, paucis poſt horis illi accreſcat; tunc vero imponendi globuli ex filamentis imbutis unguento ex Betonica, aut Matriſylva, atque carne inducta, cicatrix, medicamentis exſiccantibus alias propoſitis, obducenda; quod ſi caro parvo temporis ſpatio non ſuccreverit, indicio fuerit, totum corruptum os non eſſe abraſum, ac proinde operationem repetendam, donec caro optima adnaſcatur, quo aliis poſtmodum remediis detur locus. Nunquam vero deveniendum ad inuſtionem ipſius oſſis ſterni, quia non abſcedit, aliorum more; quæ licet ex toto corrupta non ſint, ſed aliqua tantum parte, ſi inurantur, ſola illa labefactata abſcedit, ſuperſtite alia laudabili; quod non contingit oſſi ſterni, quod lentum ſatis, non poteſt ita facile in ſquamulas dirimi; quin potius inuſtione ad internam uſque illius partem pervadente, totam partem corruptam abſcedere neceſſe eſt, non quidem ſpatio triginta, aut quadraginta,

draginta dierum, prout alia oſſa, ſed trium aliquando annorum: unde conſulo, ut nunquam os ſterni inuratis; obſervavi ſiquidem in multis non abſceſſiſſe, niſi duobus vel tribus annis exactis; ut propterea tutior, & facilior ſit curatio per abraſionem, quam per uſtionem; quæ methodus çurandi fiſtulam a vulnere; vulneris autem, quod non penetret in cavitatem, principio ſtatim ad mutuum contactum labia adducenda, & quidem ſi amplum fuerit, per ſuturam, ſi vero anguſtum, per compreſſionem, prohibita puris generatione, ne os ipſum corrumpat, aut ſaltem afficiat: qua ratione in his vulneribus non penetrantibus, ſed lædentibus tantum os ipſum ſterni, progreſſu octo vel decem dierum illa ad cicatricem perduxi, ſolo appoſito cerato ex ceruſa vel ex Diachalcitide.

OBSERVATIO XL.

Vulnus ſclopeti in articulatione humeri cum ſcapula, ſanatum, decem annis incolumi ægro; a quibus obortо in eadem parte tumore, totum acromium corruptum volſella eductum.

MERCATOR quidam ex familia Merulorum, vulneratus ſclopeto in articulatione capitis humeri cum ſcapula, ſanatus ab excellentiſſimo Julio Caſſerio Placentino, anatomes & chirurgiæ profeſſore magni nominis, decem annos integra uſus valetudine, tumore inſigni demum laboravit, quo loco cicatrix occalluerat, cum febre, & dolore gravi, quo ſtatim a me ſecto, maxima copia puris ex eodem effuſa eſt, immiſſa poſtea turunda im-

buta ovi albumine, atque ſuperinjecta ſtupa eodem madefacta; poſtero vero die metuens ne tumor hic cauſam haberet aliquam corruptionem oſſis, cum ſpecillo id explorarem, deprehendi fruſtulum oſſis mobile, quod volſella eduxi, totum ſcilicet acromium ipſius ſcapulæ; digerentibus poſtmodum medicamentis, prius ſarcoticis, demum epuloticis uſus, ſpatio menſis perfectiſſime ægrum ad ſanitatem deduxi.

Non itaque mirum, ſi in vulneribus ſclopetorum, multo temporis ſpatio oſſa læſa abſcedunt: hoc ſiquidem in praxi frequentiſſimum.

OBSERVATIO XLI.

Vulnerum in Thoracis cavitatem penetrantium, tum eorum quæ, læſis intercoſtalibus vaſis, ſanguinem in eandem effundunt, tum quæ iiſdem integris, infliguntur, vera curandi methodus.

FREQUENTISSIME obſervavi, Thoracis vulnera in ejuſdem cavitatem penetrantia, ſine ulla tamen læſione partium internarum: quæ quidem duplicis generis, alia quæ vaſa intercoſtalia lædunt, ex quibus copioſus manans ſanguis in ejuſdem cavitatem delabitur; alia vero, quibus vaſa illæſa ſanguinem in eandem non effundunt. Prioris generis vulnus patens ſervandum; quam curandi methodum omnes medicinæ ſcriptores proponunt; ſi vero nihil ſanguinis in cavitatem thoracis effuſum fuerit, quod ſuis patet ſignis, abſentia ſcilicet ſymptomatum, ex ſanguine in eadem collecto; in quibus ſunt febris, tuſſis plurima, gravitas

gravitas ſupra diaphragma, & alia hujuſmodi, tunc immiſſa breviſſima turunda in orificium ipſius vulneris, imbuta ovi albumine, & ſuperinjecto linteolo eodem madefacto, cum bolo armena, & ſanguine draconis, leviter faſcia comprimo partem læſam; atque ſequenti die, remota turunda ex toto, appono ceratum ex ceruſa; quibus ſpatio ſeptem aut octo dierum, patientes ſanos præſto. Qua methodo quinetiam vulnera thoracis ejus tantummodo muſculos penetrantia, ad ſanitatem deduco, ſpithamam licet ampla.

OBSERVATIO XLII.

Ex vulnere Thoracis inter quartam, & quintam coſtam, Epilepſia ſuborta, qua nunquam alias correptus fuerat æger, turunda immiſſa, recurrens.

CUM duo ſtudioſi inter ſe digladiarentur, eorum alter ex familia Curtorum, vulneratus thorace, inter quartam & quintam coſtam, prolapſus eſt in terram Epilepticus, cum ſpuma in ore, motibuſque convulſivis, a quibus ſymptomatibus, patiens mortuo ſimilis domum deportatus, pulſibus tamen validis; quia vero barbitonſor jam obligaverat vulnus, ipſum eodem ſtatu dimiſi, quod cum accidiſſet matutinis horis, ſub veſperam denuo accitus, redintegratis ſenſu & motu, poſtero die vulnus obligavi, cum facultates principes convaluiſſent; quod cum curarem demiſſo ſpecillo, patiens graviter conqueri cœpit de dolore, cum levi quadam convulſione, Epilepſiæ ſimili, cujus cauſa ſpecillum removi, atque a turunda abſtinui, a

barbitonſore antea immiſſa, appoſitis ſolis filamentis digeſtivo roſaceo imbutis, ac ſuperaddito cerato ex ceruſa, & quidem tertia die; quarta vero, applicato eodem cerato, quibus ſpatio novem dierum ex toto fuit ſanatus æger; qui, cum nunquam alias Epilepſia laboraſſet, ut mihi retulit, ex vulnere ſolo ea correptus eſt, ratione ſcilicet nervi intercoſtalis læſi, inculpata valetudine etiam nunc Venetiis degens.

OBSERVATIO XLIII.

Pus ex vulneribus Thoracis ſuperioris in ejuſdem cavum effuſum, ſine ſectione quandoque per alvum expurgatum, convaleſcentibus illico ægris, quo id citius contingit.

VULNERA penetrantia Thoracis parti ſuperiori inflicta, ita ut materia intus collecta non poſſit adeo commode expurgari, in empyema degenerant, ex omnium ſententia; qua ratione quidam a me perforati ſectione inter quintam & ſextam coſtam, evacuata materia, plerique ſanati fuere. Verum obſervatione dignum, ſine ſectione eandem per alvum expurgari: quam tamen viam ſectione anatomica rimari non potui; quod & ab Hippocr. quinetiam obſervatum libro de morbis; ut propterea quidam illam crediderint non eſſe pus, ſed chyloſam potius ſubſtantiam, fruſtra propterea applicatis hujus cauſa ventriculo remediis. Obſervatum quinetiam a me, quod quotieſcunque citius materia expurgatur ſpatio nempe, ad ſummum, diei, ſtatim patientes convaleſcunt, materia

materia ex vulnere non amplius manante, & quod mirum, febre quinetiam ceſſante, utpote quæ, eadem in cavitate Thoracis hærente, eſt continua: quinimo hoc ſignum pathognemonicum cenſetur, patientes immunes eſſe a febre, cum nulla in Thorace ſanies, quæ vulnus ſtatim occludendum indicat, qua contra ſenſim exudante, omnes moriuntur; quia mora ſua dum permeat, partes internæ exulcerantur, pus augetur, atque ulcera, febriſque quotidie invaleſcunt, cum præſenti vitæ diſcrimine. Quod propterea animadvertendum illis eſt, qui adhibentur his curationibus, ut ſcil. ſi pus brevi ſpatio temporis non evacuetur, ejus eductionem quam citiſſime medicamentis curent; qua ratione exhibeo aut aquam hordei, vel mulſum, quæ paulatim detergent, ac evacuationi aptum reddunt, non ſine ope naturæ illud expellentis; quo ſubſidio non egent robuſtiores, qui paucis diebus totam materiam purulentam extrudunt, & ſanantur, niſi hæc evacuatio diutius protrahatur, quæ illis mortem inferat. Non autem hic propono modum curandi vulnera Thoracis, cum ab aliis ſatis ſuperque de his actum ſit.

OBSERVATIO XLIV.

Empyema ex pleuritide, ſectione inter quintam, & ſextam coſtam, felici ſucceſſu ſanatum, fruſtra adhibitis ex conſilio medicorum magni nominis, externis medicamentis.

QUÆ vero obſervavi in Empyematicis, nunc in medium producenda. Nobilis Patavinus,

nus, ex pleuritide non expurgata, incidit in Empyema, tanta puris copia in cavitate Thoracis concluſa, ut iterum, & tertio per diem incideret in lipothymiam, ſyncopi proximam; quem propterea cum decreviſſem perforare, neque ejus parens hoc admitteret, vocavit medicos hujus civitatis primarios, & potiſſimum Jo. Veſlingium, meum olim in praxi diſcipulum, præter alios, quorum nomina non refero, quoniam Patavii res eſt notiſſima; cum quibus habita conſultatione, propoſui ſectionem inter quintam, & ſextam coſtam, ab omnibus auctoribus laudatam, atque propria experientia ſæpiſſime felici ſucceſſu adminiſtratam, quam cum medicus quidam imprimis improbaret, hujus loco præſcripſit cataplaſma, apponendum Thoraci, cujus præſidio materia purulenta diſcuteretur; quem ſecutus quinetiam Veſlingius, quo tamen præſente ſæpiſſime hanc operationem feliciter peregeram, eam & ipſe damnavit, metu ſcilicet læſionis vaſorum intercoſtalium; quorum opinionem miratus, qui hæc in medium afferre auſi, ſequenti die mane Thoracem ſecui inter quintam & ſextam coſtam, immiſſa turunda craſſa ſatis, quæ foramen patens ſervaret, quam ſub veſperam eduxi, ac ſimul tres, & quod excedit, puris libras; a quibus nobiliſſimus juvenis a lipothymia convaluit; quem poſtmodum curavi, prout alioqui vulnera Thoracis, educta ſcilicet quotidie materia purulenta, atque immiſſa in vulnus paucis poſt diebus, cannula plumbea, per quam tota ſanies penitus exhauſta; qua demum educta, ad cicatricem tandem vulnus ſpatio viginti octo dierum adduxi.

OBSER-

OBSERVATIO XLV.

Ex vulnere in thoracis cavum penetrante inferius, perperam viginti dies obligato, febris, totius corporis macies, cum delirio ſuborta, a ſuppreſſo pure, quo expurgato, omnia remiſſa, ſanato ægro. Ex ſqualore corpus ſquamis inſtar piſcium obſitum. Error vulgarium chirurgorum, qui vulnera thoracis non explorata, aquis balſamicis intempeſtive occludunt, notatur.

ACCEPIT quidam vulnus in Thoracis cavitatem penetrans, parte tamen decliviori, quod cum chirurgi quidam Tarviſini viginti dies obligaſſent, neque ejus altitudinem deprehendiſſent, negligentia, an imperitia dubium, maxima proinde copia puris in Thorace congeſta, incidit patiens in febrem continuam, cum macie totius corporis, rubore faciei, ac delirio, his potiſſimum verbis expreſſis, opus ſibi eſſe duobus fonticulis, quo materia concluſa expurgaretur; quod non omni ratione vacabat, quanquam non diſtingueret locum deliteſcentis puris, cum duos brachiis inurendos mandaret. Patavium eodem delato, cum omnia prædicta accuratius expenderem, deveni in cognitionem, cavitatem Thoracis oppletam eſſe pure; quod experientia patefactum, demiſſo in vulnus ſpecillo, in quod proinde immiſſa turunda, poſtridie eduxi phialam puris plenam, delirio ceſſante, & febre remiſſa: quod vero mirum, totum hujus ægri corpus, ratione ſiccitatis, & ſqualoris, ſquamis inſtar piſcium obſitum fuit, voca-

tis

tis ad rei novitatem, clariſſimo Dominico Sala, cum multis ſtudioſis, raro caſu, nec unquam antehac conſpecto; prout & obſervatione dignum, quod æger macie confectus, atque omnium judicio brevi moriturus, pure per cannulam plumbeam continuo educto, atque injectionibus ab auctoribus propoſitis, ſpatio duorum menſium ex toto convaluerit, multos etiam annos incolumis.

Quæ ſæpiſſime quinetiam accidunt hoc tempore, dum imperiti quidam, aquis ſuis balſamicis, & balſamis adſtringunt partes externas vulneris, relicta poſtmodum ejuſdem cavitate pure oppleta, unde Empyematici moriuntur; qui propterea pro ignaris omnino habendi methodicæ artis, atque Empiricis, & Agyrtis, qui in circulis popello illudunt, dum ſexta aliqua corporis parte, balſamicis ſuis medicamentis, ſordibus potius, ſequenti die publice vulnus obductum exhibent, cum pauca tantum cutis ſecta fuerit, quam obligatam, & compreſſam, non ſine naturæ ope agglutinant; quod & mihi experientia compertum, vulnera ſcilicet externa, anguſta potiſſimum, nullo adhibito medicamento a natura ſanata, ſolo applicito ovi albumine, trium, aut quatuor dierum ſpatio; cum tamen ignari, & vulgares homines hos Empiricos Deorum loco habeant, hæc vulnera externa videntes occluſa, cunctis ad ipſos confugientibus, qui licet propria ignorantia deluſi, ægrorum erroribus potius quicquid ſecus acciderit adſcribunt, atque ita ſeipſos ab omni crimine tutantur, non ſine multorum interitu.

OBSER-

OBSERVATIO XLVI.

Ex vulnere Thoracis, ſuperiùs, magna puris copia in ejuſdem cavo congeſta, ſectione inter quintam & ſextam coſtam expurgata; nec non per os, & urinam, diei ſpatio.

CUJUSDAM ſcribæ filius, ex Agiaciorum familia, vulneratus parte ſuperiori thoracis ad ejus uſque cavum, ex quo quum pus ægre expurgaretur, multa copia in eodem congeſtum, decrevi ipſum ſecare inter quintam & ſextam coſtam ejuſdem lateris, impoſita poſtmodum turunda, ut ſuperius dixi, ſequenti die, qua educta, duæ puris libræ effluxerunt. Obſervatione vero dignum, non ſolum vulneris orificio pus emanaſſe, ſed & per os quinetiam magna copia, necnon per urinam quoque ad libram unam, & quod excedit, per diem; quæ viæ licet omnibus pateant, non tamen naturæ conſuetæ, facta potiſſimum ſectione, quæ materiam copioſam effudit; cum tamen patiens eſſet juvenis decem & octo annorum, ac robuſtus, natura propterea has vias communes ſibi paravit, ægro ſpatio menſis omnino ſanato, & adhucdum incolumi, ob rationem ſuperius propoſitam.

Dubium vero nonnullis, qua ratione materia purulenta ſupra diaphragma hærens, non impediat reſpirationem, cum tamen hoc Galeno inſtrumentum ſit proprium reſpirationis; quod ſcilicet experientia ſit ipſis compertum, quendam nobilem Bellunenſem fiſtula laborantem Thoracis, inter

ſextam & ſeptimam coſtam, nulla reſpirandi difficultate laboraſſe; cujus morbi cauſa, conſultatione habita cum viris hujus urbis præclariſſimis, negantibus multam adeſſe puris copiam in cavitate Thoracis, nulla potiſſimum reſpirationis difficultate illi moleſta; illorum tamen opinionem mordicus oppugnavi, materiam ſcilicet purulentam intus concludi affirmans, cujus ratione immiſi turundam craſſam ſatis, & longam circa horas veſpertinas, vocatis ſequenti mane multis ſtudioſis, qui conſultationi interfuerant, quibus præſentibus, cum turundam educerem, erupit ex Thoracis cavo libra, & quod excedit, puris, fœtentis adeo, ut adſtantes præ odoris gravitate excedere coacti fuerint, quod pus eo confluxerat ex tumore thoracis, quo ſex ante menſibus laboraverat patiens, ſuperſtite poſtmodum fiſtula prædicta. Ex quibus patet, quod quotieſcunque pulmones pus non contingunt, vel moto quinetiam ipſo diaphragmate, tunc reſpiratio illæſa eſt. Quod vero aliquis objicere poſſet, qua ratione ſcilicet innoteſcere poſſit pus in ipſa cavitate concluſum, nulla præſente reſpirandi difficultate; reſpondeo, obſervandum eſſe, quod quando adeſt minima portio puris in Thorace, id non fit ſine febre; quod eſt ſignum illius pathognomonicum, præter alia ab auctoribus propoſita; ut propterea ſuperius admonuerim, vulnera Thoracis non eſſe ad cicatricem ducenda, niſi patientes immunes ab ipſa fuerint aliquot dies: quinimo advertendum quinetiam, quod quando purulenta materia in cavitate Thoracis ſupra diaphragma decumbens, non ſuperat pulmonum alas, tunc per

tuſſim

tuſſim non expurgatur; quia admittere non poſſunt, eandem non contingentes. Nobilis vero hic patiens non ſolum laboravit fiſtula ſimplici thoracis, ſed & præterea duabus coſtis corruptis, quas proinde abradere opus fuit, non ſine quibuſdam aliis remediis: qui tamen cum per negotia hic morari diutius non poſſet, non integra valetudine diſceſſit, illi tantum præſcriptis, brevi eo temporis ſpatio, injectionibus ex vino mulſo, & aquis Thermalibus ſulphureis; in quarum uſu mirum occurrit, quod ſtatim infuſæ tuſſi excernebantur, ex vino vero injecto, medicamentis potiſſimum imbuto, illico nulla mora, maximo impetu rejiciebantur majori copia; ut propterea obſervandum ſit, non ſolum pulmones, raræ utpote ſubſtantiæ, ſed etiam omnes partes noſtri corporis ſuis poris patere, per quos non ſolum excrementa communia, ſed etiam materiæ ſanioſæ extruduntur ad communia loca; ſicuti contingit in vulneribus thoracis, quibus non ſolum ex locis omnibus notis materia purulenta fluit, ſed etiam per inteſtina.

OBSERVATIO XLVII.

Ex vulnere Thoracis fiſtula ſuborta, quæ ſpatio aliquot menſium pervadens ad capſulam cordis, hujus ſubſtantiam ad fibras uſque cavitatis abſumpſit.

EX vulnere ſterni ad quartam coſtam ſiniſtra parte, ſuborta fiſtula in quodam Veronenſi; cum per aliquot menſes eadem laboraſſet, ad ejus curationem me vocavit; cujus corpore primo expurgato, nulla licet ſpe ſalutis, ratione maciei, qua confectus erat, necnon febris, & virium imbecilli-

tatis, immiſſa turunda, copioſum pus eduxi, a quo aliquot poſt diebus ſyncope correptus æger vitam cum morte commutavit.

Diſſecto cadavere, inveni capſulam, & fere totam cordis ſubſtantiam ad fibras uſque ab ulcere exeſam. Videant igitur, an conſtare poſſit ſententia Ariſtotelis lib. 3. de partibus animalium cap. quarto, quod cor nullum vitium grave diu patiatur; ſiquidem hic patiens diu vixit, quamdiu ſcilicet ulcus, & fiſtula penetravit ad cavitatem, aut ventriculum ſiniſtrum ipſius cordis.

OBSERVATIO XLVIII.

Ex Aneuriſmate arteriæ magnæ ſub corde, ſanguis effuſus in pulmonem dexterum, cum ſuffocatione patientis.

ADMODUM Reverendus Pater, Franciſcus Bettotus, Metaphyſices in hoc Gymnaſio publicus profeſſor, ætate quinquaginta ſex annorum, decem aut duodecim annos pulſationem præternaturalem in ſiniſtra Thoracis parte, ubi cordis præcipue pulſus micat, paſſus eſt, quæ ab anatomes ignaris cordis palpitatio cenſebatur. Ego vero accitus, conjeci ipſum laborare aneuriſmate, ex quo poſtmodum multis incaſſum tentatis remediis, noctu ſuffocatus obiit.

Diſſecto cadavere, cavitatem thoracis dexteram ſanguine refertam obſervavi, cui copia ſeri ſuperfuſa erat, pulmonis dextri ſubſtantia conſumpta, & ſola ejuſdem ſuperſtite membrana, inſtar ſacculi, qua diſſecta, patuit membrana interna arteriæ

riæ magnæ, prius quidem laxata; poſtmodum vero, cum dilatationi nullus eſſet locus, diſrupta. Aneuriſma itaque fuit in arteria magna extra cor, duos ſolummodo digitos tranſverſos; quo loco ſanguis a ſiniſtro ventriculo effuſus, valido impulſu prius internam diſrupit membranam, externa dilatata, qui, cum nullum aliud pateret ſpatium, intra pulmonem dextrum ſibi viam fecerat, ubi calore, motu, & compreſſione, ſubſtantiam ejuſdem conſumpſerat.

OBSERVATIO XLIX.

Difficultas reſpirationis, cum dolore hypochondriorum, ex amplo corde firmius annexo Diaphragmati & Pleuræ.

VENETUS quidam annorum quadraginta, temperamenti calidi, & humidi, crapulæ deditus, de difficultate reſpirationis, & hypochondriorum anguſtia conquerebatur, qui multis adhibitis fruſtra remediis, Patavium cum veniſſet, poſtera nocte morte repentina extinctus eſt.

Hujus aperto cadavere, in hypochondriorum regione nihil quidem præter naturam ſe prodidit; verum in Thorace cor adeo amplum obſervavi, ut tria naturalis magnitudinis æquaret, ventriculis itidem ampliſſimis, cujus capſulæ ubique preſſius adhærebat, ſuperiori, ac lateralibus partibus pleuræ etiam annexum; inferiori vero diaphragmati, nec ſolum membranoſæ ejuſdem parti, ſed ob ejus molem, carnoſæ quinetiam. Ex quibus conjicere non præter rationem fuit, præfatam gravem reſpirationem

onem non aliunde ortum duxiſſe, quam a pulmonum & diaphragmatis compreſſione, quæ & cauſa fuit doloris hypochondriorum, & potiſſimum diſtenſionis ejuſdem.

OBSERVATIO L.

De morbis infimi ventris.

Dolor ventriculi, cum ſanguinis vomitu recurrens, in abſceſſum fundi ejuſdem mutatus, fruſtra curatus, tandem omnino ſanatus.

SANAVI mulierem duos menſes ventriculi dolore laborantem primò, poſtmodum vero ſanguinis vomitu, ad libram unam, qui ſponte ſedatus aliquot dies, nec ullo dolore moleſtus; quo tandem denuo recurrente, a peritiſſimis Venetis medicis eadem curata medicamentis per os exhibitis, incaſſum tamen, Patavium ſe contulit, cujus ego in Noſocomio D. Franciſci curationem ita ſum aggreſſus. Primo ſanguis eductus e brachio, tum e pede; atque exhibitum mel roſaceum ſolutivum; tribus vero, aut quatuor poſt diebus a medicamento aſſumpto, cum vomuiſſet libras duas circiter puris cum ſanguine mixti, indicium præbuit abſceſſus in fundo ventriculi; præter continuam querelam de dolore ipſius partis, nulla licet materia excreta per alvum illi proximam; eidem exhibui poſtmodum aquam hordei quindecim dies, mixtam cum melle roſato colato; cujus uſu vomuit tria fruſtula tunicæ internæ ipſius ventriculi, longa, & lata quatuor digitos tranſverſos, non ſine

multorum

multorum admiratione; necnon aliquot dies poſtea portiunculam aliquam puris cum ſanguine mixti; quibus abſtergendis, exhibui aquam Tettutianam quatuor dies, cum melle roſato ſolutivo; poſtmodum bolos ex ſaccharo roſato antiquo, pulvere boli armenæ orientalis, & lapide hæmatite, ac dimidia poſt hora, uncias quinque decoctionis Plantaginis, Polygoni, Balauſtiorum, & Hypociſtidis; quibus ſpatio duorum menſium ægra omnino convaluit, in hunc uſque diem incolumis.

OBSERVATIO LI.

Vulnus abdominis penetrans, cum prolapſu omenti, quod ſectum, licet non omnino corruptum, nec tamen obligatum, ex magna vi ſanguinis in inguen ejuſdem partis decumbentis, abſceſſum in eo excitavit, qui ſectus, educto multo pure, remediis accommodatis perfecte ſanatus.

SUTOREM vidi abdomine læſum, vulnere penetrante, cum prolapſu omenti, quod cum Barbitonſor ſecuiſſet, non omnino alienatum, & gangræna corruptum, neque obligaſſet, ita ut ipſo in ſedem ſuam compulſo ſanguis ex venulis aſſidue manaret, qui ad partem inguinis ejuſdem lateris illapſus, atque congeſtus, viginti poſt dies circiter abſceſſum magnum excitavit; quem, vocatus ſecui, maxima puris copia effluente, atque barbitonſori præcepi, ut continuo turundam immitteret, donec tota materia exhauriretur, eadem paulatim decurtata, tum poſtmodum omnino educta, ad obductam uſque cicatricem, more conſueto.

to. Obſervandum vero, ex ſententia omnium auctorum, non eſſe ſecandum omentum, niſi filo conſtringatur, quod in vulnere relictum natura præter ullum incommodum extrudit, præcepto barbitonſoribus maxime obſervando.

OBSERVATIO LII.

Tumores jecoris ſuppurantes, in gibba potiſſimum ejuſdem parte tuto ſecantur; in cava vero, per urinam expurgandi, exemplo virginis, quæ tumore ejuſdem partis laborans, per urinam magna vi puris excreta, eo liberata eſt.

TUMORES aliquando in jecore ſuboriuntur, in quibus alii ſunt crudi, & nunquam ſuppurant, alii vero ad ſuppurationem veniunt; & quia jecur pauci eſt ſenſus, nervulis quippe gibba tantum ſui parte donatum, non ita facile propterea, niſi progreſſu temporis horum differentia dignoſcitur: tunc enim qui ſuppurant, gibba potiſſimum ipſius parte in acumen prominent, & ſectionem indicant, nullo vitæ diſcrimine; prout ego in multis ſum expertus, ſectis licet integumentis communibus, muſculis, & peritoneo; quod ſi in cava delituerit, per urinam expurgandus, ut obſervavi in Veſtali virgine Divæ Annæ, ex Buzzacarinorum familia, quæ cum maximam copiam puris minxiſſet, a tumore liberata eſt, dolore licet jecoris quandoque moleſto, cum febre; a quibus tamen ſola evacuatione ſanguinis ex vena jecoraria dextri cubiti, convaluit; quod non contingit tumori partis gibbæ jecoris, cui ſecto imponenda

ponenda turunda, imbuta ovi albumine; tum digerentibus utendum, prout in vulnere illius partis; poſtmodum ſarcoticis; tandem epuloticis cicatrix inducenda, evacuata prius tamen tota materia purulenta, turundarum ope, necnon cannulis plumbeis, quibus utpote citius & commodius expurgatur. Qua ratione multos ſanavi, quorum aliqui adhucdum incolumes degunt.

OBSERVATIO LIII.

Fiſtula umbilici ad inteſtina uſque ſerpens, diu fruſtra curata, parvo temporis ſpatio feliciter ſanata.

PATREM quendam Theatinum vidi, laborantem fiſtula Umbilici, ad inteſtina uſque penetrante, de quorum dolore erant querelæ ex demiſſo ſtatim in eandem ſpecillo; quem hac methodo curavi. Facta ſcilicet totius corporis expurgatione, inuſſi totum orificium fiſtulæ jam calloſum, & induratum immiſſa in illud parva turunda, quo omnis cruſta ſimul cum callo attereretur, & quidem imbuta a principio butyro, poſtmodum digeſtivo, quam facta concoctione eduxi, appoſitis filamentis, illitis unguento ex Betonica, & ſuperdato cerato ex Diachalcitide; atque octo poſt diebus circiter abſtinui a filamentis, ſolo contentus cerato, quo cicatricem induxi, ægro ſpatio viginti dierum ſanato; qui a medicis Mutinenſibus multos menſes incaſſum fuerat curatus.

OBSERVATIO LIV.

Epiplocele cum ſarcocele conjuncta, ex eroſione omenti complicati, enata carne in ſpithamæ longitudinem ex inguine propendente.

QUIDAM Eſtenſis in Patavino Xenodochio habuit prominentiam longam ſpithamam, inſtar priapi ex inguine luxuriantem, ubi proceſſus peritonæi, craſſam vero duos digitos tranſverſos, adeo ut non inconcinne æmularetur formam alterius membri virilis. Cum vero ab ægro quærerem hujus morbi originem, atque negaret eſſe inteſtinum prolapſum, cujus certe nullum aderat ſignum, ex ejus verbis conjectura aſſecutus ſum, eſſe omentum complicatum, cum prius Bubonocele laboraſſet, poſtmodum abſceſſu, quo diſrupto, prorupit omentum, atque ſenſim ita convolutum fuit, illique propter eroſionem caro quædam inter plicas accreverat in prædictam formam; quem hoc modo curavi. Primo expurgatis humoribus redundantibus, portiunculam dictæ prominentiæ ſecui, ampliato uſque adeo vulnere, ut omentum implicatum ſe proderet; quod duobus vel tribus poſt diebus ſecui ex toto ad inguina uſque; tum digerentibus; demum conſuetis exſiccantibus cicatricem obduxi, incolumi adhucdum ægro, & omni moleſtia vacuo.

OBSER-

OBSERVATIO LV.

Bubonocele, locus bubonis venerei ab imperito barbitonſore ſecta, prodeuntibus alvi fæcibus, brevi temporis ſpatio ſanata.

VILLICUS quidam Bubonocele laborans, barbitonſorem accerſit, qui venereum bubonem cum exiſtimaret, ejus proinde ſectionem ſuadebat; quanquam æger cum nulla alia muliere, uxore propria excepta, rem ſe habuiſſe ſancte affirmaret, honeſta equidem, ac pudica; cum vero tonſor opinionem ſuam tueretur mordicus, atque omnino ſectione opus eſſe, eam tandem miſer villicus admiſit, ex qua cum fæces erumperent, ſtatim in lipothymiam prolapſus eſt, tonſore obſtupeſcente. Ego vero cum caſu illac tranſirem, vocatus, ſtatim digito compuli inteſtinum in locum proprium, applicato ovi albumine, cum ſanguine draconis, atque linteolo quadruplicato compreſſione facta arctius nonnihil conſtrinxi quatuor dies, a quibus, cerato demum ad herniam ab Aquapendente uſus, ſpatio decem dierum, ſectæ partes coaluerunt. Tandem meo conſilio totum vitæ tempus geſtato cingulo, multos annos incolumis vixit.

OBSERVATIO LVI.

Quinque fiſtulæ femoris ex vulnere ſclopeti cum tumore & oſſe carioſo, male curatæ, ſublato callo, & accommodatis remediis ſanatæ quidem, ob extremum tamen os fractum ſupra aliud diutius coaleſcens, aliorum medicorum incuria, claudicante ægro. Quod antiquæ fracturæ ex vulneribus ſclopetorum ſint inſanabiles.

MEMINI me curaſſe Illuſtriſſimum Vincentium Gritti, ſclopeto vulneratum in femore, novem menſes Venetiis fruſtra curatum. Laborabat autem quinque fiſtulis femoris, & inſigni ejuſdem tumore, cum oſſe carioſo, Illuſtriſſimo ægro adeo emaciato, ut oſſa ſola cute tecta apparerent, accedente febre fixa, ex fiſtulis orta; quem cum interrogarem de remediis, & methodo curationis antea adhibitis, reſpondit, ſine turundis proceſſiſſe, applicito quodam cerato, & cataplaſmate ex farina lupinorum, theriaca, & vino malvatico; præſcripta a medicis victus ratione ex pane furfuraceo, & carnis loco, utpote quæ vulneribus ſclopetorum noxia, oleribus, vel ſaltem aliquando ſolius vervecinæ conceſſo uſu; quod valde mirari ſubiit, cum fiſtulæ, omnium conſenſu, non ſanentur niſi ſublato callo; qui non ſolum his accreverat, ſed & oſſis quinetiam corruptio accedebat: tumor autem a cataplaſmate calidiori, & nimis exſiccante induratus adeo fuit, ut reſolvi omnino non poſſet. Ego vero hoc modo curationem ſum aggreſſus, præſcripta primo victus ratione

tione, ex pane ſcilicet triticeo puriſſimo, pullis junioribus, glandulis, ac cerebris vitulorum, ovis ſorbilibus tremulis, ptiſana hordeacea, vino oligophoro, & hujuſmodi, exhibui quandoque ex pharmacia, ſemiunciam floris caſſiæ noviter extractæ, præſcripto aliquando clyſtere, aut glande ad alvum ciendam; a quibus, quinque fiſtulas prius dilatavi turundis ex medulla milii indici, ſeu ſorgi, aliquando etiam ex ſpongia: & quia tumor, curationem impediebat, illi applicui aliquot dies cataplaſma Galeni 2. lib. ad Glauconem, ex farina triticea, aqua, & oleo communi, quibus brevi ſpatio temporis ex toto diſcuſſus eſt; expurgata quinetiam ſenſim materia, prout in omnibus fiſtulis, in eo congeſta, atque in pus converſa, earum dilatatione. His peractis, deveni ad abraſionem oſſis carioſi, atque eadem opera, ad calli attritionem; cum vero hæ fiſtulæ a parte externa ad internam femoris penetrarent, & quædam mutuis oſculis in ſe invicem hiarent, huc immiſi ſetaceum ex ſerico, imbuto unguento Iſidis, cujus præſidio callus ex toto fuit ſublatus; tum ferramentis totum os fiſtulis ſubjectum eraſi; poſtmodum ſetaceis dimiſſis, ſenſim turundas imminui, adhibitis medicamentis ſarcoticis, miſtis cum aliqua portiuncula Iſidis, ne caro laxa, aut callus denuo ſuccreſceret, curationi impedimento futura; applicui quinetiam ſpongias ſupra femur, madefactas noſtris aquis thermalibus montis nempe ægrotorum, atque modice faſcia illud conſtrinxi cum ſpongiis, ita tamen ut in quælibet fiſtularum orificia brevem cannulam plumbeam immitterem, ne materia aut purulenta,

lenta, aut ſeroſa, alicubi hærens, aliud ſibi pararet foramen. Tandem ſublatis cannulis, & arctius alligatis ſpongiis, orificiis fiſtularum adhibita filamenta arida, cum cerato ex Diachalcitide, cicatrici inducendæ; cumque medicorum Venetorum incuria, extremum oſſis femoris fracti ſupra aliud coaluiſſet, non potui antiquam hanc fracturam, novem nempe menſium, componere, cum ratione debilitatis virium Illuſtriſſimi ægri a principio curationis; tum quod fracturæ ex vulneribus ſclopetorum, iis quinetiam integris, cum initio non bene committuntur, difficillime ſanantur; quod nec quidem tentandum, oſſibus fruſtillatim fractis, niſi præſenti vitæ diſcrimine; ut propterea Nobilis claudicare coactus fuerit.

OBSERVATIO LVII.

Ulcus amplum depaſcens totius cruris, male curatum, frequenti ſcilicet inuſtione, & exſiccatione nimia oſſis, ejuſdem abraſione & accommodatis remediis ſanatum.

NOBILIS Veronenſis ex familia Liſca, laborabat amplo ulcere, in totum crus ſerpente, cum oſſis corruptione, atque effluxu ipſius medullæ, cujus cauſa, ut credo, Lues Venerea, hoc indicio, quod Veronæ diu curatum, nunquam tamen cicatrice obductum fuerat: cum vero a patiente quærerem, qua methodo medici ulcus curaſſent, faſſus eſt, illos frequentiſſimis potiſſimum oſſis inuſtionibus uſos, carni, & labiis ulceris ſarcoticis adhibitis; fruſtra tamen, quod me judice, adeo

adeo exſiccaretur os, ut alimentum femori accedens illi nutriendo, ita abſumeretur, ut carni ſub ipſo producendæ par non eſſet; ac proinde nec ſtatuto tempore hoc abſcedere poſſet, nec cicatrix induci, quod medicos illos latuit. Hoc vero cum animadverterem, ſcalpro abraſorio totum os tum corruptum, tum combuſtum eraſi, donec ſanguis ex ipſo exſudaret, adhibitis poſtmodum filamentis aridis, & ſupra carnem ambientem, ſarcoticis; quibus paucis diebus os munitum fuit cum carne circumpoſita, tum propria; cicatrice tandem, tempore illi opportuno obductum epuloticis. Obſervandum propterea hæc ulcera curantibus, abſtinendum a medicamentis valde exſiccantibus, & oſſa adurentibus, ob rationes ſuperius allatas; cum illorum uſu ſemper prohibeatur abſceſſio oſſis, a carne ſupra os ſanum genita, corruptum extrudente, documento chirurgis, ut hos errores vitent, nec velut inſanabilia hæc ulcera dimittant.

OBSERVATIO LVIII.

Teſticuli in inguine deliteſcentis, in infante octomeſtri fruſtra diu tentata ſuppuratio, alterius tumoris loco.

TONSORIS cujuſdam filius, infans octo menſium, tumore inguinum laborabat, quem ut ad ſuppurationem deducerem, cum me conſuluiſſet parens, varii generis medicamentis fruſtra antea tentatam, obſervavi teſticulum alterum in inguine deliteſcentem, hoc indicio, quod alter ſcroto incluſus eſſet, parte oppoſita; ut propterea auctor

ctor fuerim, ab omni poſthac remedio abſtinendum, cum non tumor, ſed teſticulus eſſet, qui ſpatio poſtea ſeptem, aut octo menſium ſenſim in ſcrotum prolapſus, ut ſectione opus non fuerit, quam tonſor parabat.

OBSERVATIO LIX.

Ex Gonorrhœa venerea antiqua, variis fiſtulis pertuſum collum veſicæ, prope urethram, cum effluxu urinæ non ſolum ex ſcroti pluribus locis, verum etiam ex inguinibus, præter ſpem ſanitati reſtituto ægro.

CÆSAR Quaiotus Rhodiginus, morbo detentus, meæ curæ ſe commiſit, multorum fruſtra expertus; qui primo laboraverat Gonorrhœa Venerea, quæ longo temporis ſpatio ſua acrimonia, & mala qualitate collum veſicæ prope urethram, utrinque pertuderat, ut non ſolum ex ſcroto pluribus locis urina, verum etiam ex inguinibus effluereret, variis proinde fiſtulis ſubortis, quas inſanabiles prædixi, ſuperſtite adhuc Gonorrhœa: quarum tamen curationem aggreſſus, & primo quidem corpore quam accuratiſſime expurgato, illi exhibui decoctum ex ligno, & ſarſa, cum ſudore; turundis interim uſus, imbutis ſolo unguento ex Betonica, minoribus primo, tum craſſioribus, fiſtulis dilatandis; a quibus earum primo ſectionem ſum molitus in inguine, non ultra integumenta, quanquam pervaderent uſque ad collum veſicæ; immiſſa poſtmodum turunda ad fundum uſque alterius fiſtulæ, & quidem ſub vaſis ſpermaticis ad teſtes delabentibus, per quorum ductum fiſtulæ utrinque

utrinque ſerpebant; quia vero cultro non poteram earum quod ſupererat ſecare, illæſis vaſis tranſverſis, has propterea quotidie hinc inde dilatavi, atque patefactis vaſis, ſine ipſorum labe, ſub ipſis eadem forfice, ſenſim & ſenſim dilatatione facta, mihi viam paravi, impoſitis globulis imbutis unguento Iſidis & ex Betonica ſimul miſtis; qua methodo multos dies uſus, urina cœpit imminui, ceſſante gonorrhœa; atque eadem tres menſes continuata, injectionibus ſcilicet, aliquando ex aqua hordei, & portiuncula Ægyptiaci, abſumendæ carni laxiori in quibuſdam locis, atque alibi callo, non tamen valde duro, ob continuum urinæ & gonorrhœæ fluxum: inſeſſiones, & injectiones poſtea ex aquis montis ægrotorum præſcripſi, quibus progreſſu quatuor menſium circiter, non ſolum fiſtulæ inguinum ſanatæ fuerunt, ſed etiam tres aut quatuor ipſius ſcroti, ſolis immiſſis turundis, illitis unguento ex tuthia, & Iſidis miſtis; quas tandem eduxi, ſublata cauſa ipſius gonorrhœæ & fluxus urinæ, incolumi multos annos ægro. Quem morbum cum nunquam antea, nec deinceps obſervaverim, inſanabilem proinde exiſtimaveram. Verum cum medicorum ſententia, in medicina aliquando naſcantur monſtra, nunquam propterea ſaluti ægrorum deſperandum.

OBSERVATIO LX.

Meatus urinarius graviſſimo errore pro fiſtula pudendi muliebris curatus.

VOCATUS aliquando a Barbitonſore ad curandam fiſtulam pudendi muliebris, hic

anatomes ignarus, illius loco, ſpecillo mihi exhibuit meatum urinarium, in quem immittebat turundam longam ſatis, medicamentis corroſivis inductam, ut tolleret callum, & fiſtulam ſanaret. Miratus hominis imperitiam, cachinno dignam, ipſi mandavi, præſente muliere, ut deinceps uteretur exigua turunda per duos aut tres dies, illita unguento ex ceruſa camphorato, quo excoriatio illa inducta a dictis medicamentis ſanaretur; cum tamen ſimul a muliere diſcederemus, eundem monui, quam credebat fiſtulam, eſſe meatum urinarium; unde ſuborto riſu, deprecatus eſt veniam, quod nunquam antea viderit pudendum muliebre, hujus erroris cauſam. Documento chirurgis, ne anatomes ſint imperiti; cum ignoratis partibus, & earum morbis, medicamenta propria non poſſint illis adhiberi.

OBSERVATIO LXI.

Uterus laxatus a partu puellæ, pro ſecundinis non procedentibus, ab obſtetrice imperita manibus magna vi attractus, & præcipitatus, ſuborta illius inflammatione, & gangræna, illuſtriſſimæ matronæ mortis cauſæ.

CUM nobili cuidam, viginti annorum circiter, a partu puellæ non ſtatim ſecundinæ procederent, atque uterum nonnihil laxatum obſtetrix videret, hunc illarum loco, gravi errore, manibus magna vi attractum, extra pudendum præcipitavit, non ſine magno dolore patientis nobiliſſimæ, quorum cauſa incidit in lipothymiam, utero

utero valde inflammato, & hærentibus ſecundinis; quem proinde primo inunxi oleo roſaceo, atque ſenſim medium introduxi; inunctionibus poſtmodum, omentis pinguibus caſtrati, & lacte adhibitis, eodem nonnihil molliori reddito, aliquot poſt horis totum in priſtinam ſedem compuli, ſecundinis ſponte prodeuntibus, cum patientis levamento; quibus tamen non potuit prohiberi inflammatio illa gravis uteri, quominus migraret in gangrænam, & mortem nobiliſſimæ mulieris, ſanguine licet educto, atque multis injectionibus, variiſque præſidiis incaſſum adminiſtratis.

Exemplo obſtetricibus quæ omnium peritiam profitentur, quanquam imperitiſſimæ, ut ſecundinas ſponte potius prolabi permittant, quam violentis manibus eas ſolicitent; aut earum loco, prout huic contigit, uterum ipſum extrahant, quampluribus mortis auctores.

OBSERVATIO LXII.

A morſu equi refractarii detruncatum tertium internodium pollicis, cum evulſione tendinis muſculi illud flectentis, ex voto ſanatum.

ILLUSTRISSIMI & excellentiſſimi Octaviani Malipetri, Prætoris Patavini, Servus a Stabulo, carnoſi habitus, triginta circiter annorum, cum anno 1654, equo refractario frænum imponeret, hic reſiliens, & caput torquens, valide adeo illius pollicem dentibus arripuit, ut ejuſdem internodium tertium detruncarit, evulſo quinetiam integro tendine muſculi illud flectentis, quod *apoſpaſma* paſſim vocat Galenus.

Ad quem ego accitus, primo apparatu ſanguinem repreſſi ſtupis ovi albumine imbutis; juxta Avicennam; *omnia vulnera communicare in retentione ſanguinis currentis.* A quibus, mollius partem affectam ligavi, metu doloris & inflammationis ab arctiori vinculo; intercipiendo vero ſanguini, humerum defenſivo munivi, ex bolo armena, ſanguine draconis, terra ſigillata, cera, oleo roſato & aceto; atque ne ſanguis congeſtus in eo muſculi ſpatio, quod tendinem admittebat, putreſceret, & abſceſſum excitaret, totum cubitum oleo roſato omphacino inunxi, intercipiendis humoribus ad partem affectam confluentibus. Poſtero die, remoto primo apparatu, cum os & tendines ſecundi internodii ex carne prominerent, illis filamenta ſicca appoſui, donec iis quoquo pacto exſiccatis, ſub pullulaſcente carne deliteſcerent, cujus circumpoſitæ, morſu contuſæ ſuppurationem tentavi, Hippocr. conſilio; lib. de ulceribus, his verbis; *quæcunque caro colliſa fuerit, & diſrupta, curandum quam citiſſime ſuppuret.* Quod præſtiti digeſtivo, non quidem communi illo, utpote quod plus ſatis emollit, ſed roſato, quod conſtat ex terebinthina, aqua roſacea lota, oleo roſato, & cera, ſuperdato linimento ſimplici, compoſito ex unguento de ſolano, infrigidante Galeni, & de ceruſa camphorato.

Eodem die, ad revulſionem, ex oppoſiti lateris baſilica ſanguis miſſus, ad libram circiter, juxta Avic. præſcriptum, quod ſcilicet *potiſſimum in vulneribus, ut eorum apoſtematio prohibeatur*; præmiſſo tamen clyſtere; die tertio blandum exhibui purgans,

MANCHESTER MEDICAL SOCIETY.

MANCHESTER MEDICAL SOCIETY.



a. Facies superior.
b. Facies inferior.
c. Tertium internodium.
d. Principium secundi internodij.
e. Secundi internodij ossicula fracta.
f. Os Sesamoidum.
g. Insertio tendinis in tertium internodium.
h. Tendinis longitudo duodecim digitorum.
i. Tendinis latitudo.
k. Finis ipsius tendinis, quà é ventre sui Musculi evulsus est.

purgans, ex ſyrupo & melle roſato ſolutivis, cum decocto cordiali, atque defenſivum, inunctionem, & digeſtivum ad ſeptimum uſque adhibui; a quo, miſſo oleo roſaceo omphac. ejus loco uſus ſum oleo roſato lumbricato, quo nervi muſculos cubiti perreptantes, utcunque recrearentur.

A digeſtione uſus ſum unguento de Betonica, ad deterſionem, & novæ carnis productionem, ſuperinjecto parti cerato Diachalciteos Galeni, exſiccandis excrementis tenuibus, & carnis generationi curandæ: tandem ad cicatricem inducendam, uſus ſum unguento de tuth. ſuperdato cerato diapalma. Cum autem ſub vigeſimum caro luxurians cicatricem retardaret, illi abſumendæ, unguento de tuthia tertiam unguenti Iſidis partem immiſcui. Victus tenuis ad decimum quartum uſque præſcriptus, ex ovis ſorbilibus, & panatellis, miſſo carnium & vini uſu, cujus loco aqua hordei exhibita; quorum uſu æger feliciter adeo convaluit; ut toto curationis ſpatio, ſymptomatibus, quæ vulneribus alioqui accidere ſolent, omnino caruerit, febre quinetiam vacuus; quam hiſtoriam præſenti ſchemate illuſtrare, & veluti oculis ſubjicere conſultum duxi.

OBSERVATIO LXIII.

Nervos & tendines vulneratos non eſſe ſuendos, contra Severini ſententiam. Tendinis vulnerati, ex ſecta vena jecoraria lethalis, hiſtoria.

OBSERVANDUM quoque nervos, & tendines non eſſe ſuendos, ſicut perperam Severinus docuit Chirurgiæ Efficacis lib. 2. cap. 123. Primo quia

quia eſt contra Galeni methodum, quem proinde non intellexit; eo ſiquidem loco, quem Severinus citat, non ſolum ſcripſit, nervos non eſſe ſuendos, quanquam nobiliores ipſis tendinibus, ratione ſpirituum per ipſos influentium, ſed addit quinetiam, quod nunquam auſus ſit eoſdem ſuere. Quinimo ego obſervavi, incaute nervos, aut tendines à quibuſdam Barbitonſoribus fuiſſe conſutos, ſecuta convulſione, & morte patientum. Quare hæc Severini doctrina utpote contraria, & ſententiæ Galeni, & experientiæ, non eſt omnino admittenda, quin potius damnanda prorſus. Nec obſtat, quod ſuæ opinionis fautorem, & auctorem advocare conetur Pareum lib. 22. magnæ Chirurgiæ, cap. 10. in cura illius nobilis, cui nervis digiti manus ſectis, quadam theca reſtitutus eſt motus; hoc ſiquidem ex verbis ipſius non conſtat, quæ ſic habent. Nervo, tendineve penitus reſectis, actio illa, cujus in parte autores erant, una plane aboletur: itaque flecti, tendive membrum inhabile eſt, niſi ipſi opis aliquid arte Chirurgica allatum fuerit. Id ego præſtiti nobili cuidam a familia Annæ Mommorantii, Galliæ equitum magiſtri, cui in prælio ad Druidas commiſſo, vulnus tantum gladio militari ad dextræ manus articulum externa parte inflictum erat, ut tendinibus, qui pollicem erigunt, plane reſectis, etiam conſolidata & perſanata plaga, pollex intro inflexus, & in manus volam demiſſus maneret, nec extendi & ſurrigi poſſet, niſi forte vi revulſus ab altera manu, ſed tum etiam ſtatim revolvebatur. Itaque nec enſem ipſe, nec pugionem,

nem, nec haſtam capere & tractare poterat, armis omnino inutilis, ſine quibus vitam nullam putabat. Cum igitur de amputando inutili illo, & comprehenſioni officiente pollice, me conſuleret, negavi me facturum : aliam enim rationem comprehenſam me animo habere, qua pollici afflicto ſuccurrerem. Itaque thecam ex ferro albo ipſi efformandam curavi, in quam pollicem ipſum inderet, duobus loris ad armillas duas ſupra manus articulum, ſic artificioſe theca illa vincta, & colligata erat, ut intentus, erectuſque pollex maneret, atque adeo militarium armorum genus omne captare & tractare ille poſſet.

Et proinde mirari ſubeat, virum alioquin magni nominis, hæc protuliſſe ; ut propterea vos monendos cenſeam ſerio, nunquam nervos & tendines eſſe ſuendos ; cum Galenus eo loco dixerit, quod labia vulneris ad mutuum contactum adducenda ſint, ipſumque vulnus ſuendum : de ſuendis vero nervis & tendinibus ne verbum quidem fecerit. Cujus pravæ conſuetudinis ſuendi nervos, luculentum non minus quam funeſtum proſtitit nuper exemplum, cum noſtrorum Barbitonſorum aliqui, miſſo ſanguine ex brachio, lanceolis ſuis acutis, nervum ſub vena jecoraria pertuderunt, miſeris patientibus ex convulſione pereuntibus : ut propterea damnandus ſit uſus phlebotomorum acutorum : prout laudandi quibus utuntur Germani, ſemilunati ſcilicet, utpote mitiores atque procul ab omni vitæ diſcrimine, quibus exemplis ſententia Severini omnino damnanda.

DE
FISTULIS ANI,
ET
INTESTINI RECTI:

Ac primo de ipſarum differentiis.

CAPUT I.

LICET non me lateat, ab omnibus auctoribus curationem fiſtularum ani proponi, cum tamen diverſi ſint a me modo & ordine eas explicandi, ac curandi, ideo decrevi eum in medium afferre, quo ſæpe feliciſſimo ſucceſſu has ſanavi, a differentiis ipſarum exorſus.

Aliæ itaque fiſtulæ ſunt prope anum, non tamen pervenientes ad ejus orificium: nonnullæ ad ipſum pertingunt, & ſerpunt exterius ſupra inteſtinum, quod tamen non perforant: quædam vero ipſum pertundunt: & quidem aliæ in externo muſculo ſphinctere: aliæ ad partem uſque ejus mediam; quædam prope eundem externum ſuperius,

ſuperius, vel etiam ultra, ſuperiori tamen parte: aliquæ inter utramque tunicam inteſtini recti ſurſum tendunt, modo ad medium ſphincterem, modo ulterius: earum item quædam aliquando ad veſicam deflectunt, quæ ſunt ſpecies fiſtularum ani, & inteſtini recti a me obſervatæ. Præterquam quod aliæ uno tantum ſinu, aliæ pluribus perreptant; quædam rectæ, quædam tortuoſæ: quæ differentiæ accurate recenſendæ fuerunt, utpote ad earum curationem apprime neceſſariæ.

De cauſis Fiſtularum Ani, & Inteſtini recti.

CAPUT II.

CAUSÆ harum fiſtularum aliæ ſunt externæ, aliæ internæ. Externæ, vulnera in ulcera degenerantia, atque hæc in fiſtulas: contuſiones ex equitatione, ex lapſu, vel aliqua hujuſmodi cauſa anum contundente, cujus ratione oriuntur abſceſſus; quæ contuſiones, prope anum potiſſimum, ex pure in iis concluſo, perforant abſque dubio inteſtinum, quæ ſi longius ab ano recedant, illud non labefactant, ſed tantummodo carnem, ſupra quam exterius ſerpunt.

Cauſæ vero internæ fiſtularum ani, & inteſtini recti ſunt humores, hæmorrhoides, exulceratio.

Hæmorrhoides ſiquidem, ratione doloris ſanguinem attrahunt, ſuborto poſtmodum tumore, qui in ſinum, tandem in fiſtulam deſciſcit. Ab excoriatione vero inteſtini recti ſuboriuntur, dum ab aliqua materia bilioſa, mordaci, vel virulenta, ex Lue potiſſimum Venerea exulceratur, atque

ſenſim excavato ulcere ab eadem in eo congeſta, & diutius hærente, paulatim perfoditur, atque materia inter partes muſculoſas collecta, progreſſu temporis ſuboritur tumor in partibus externis ani, qui diſruptus in fiſtulam faceſſit, quæ tum inteſtinum, tum partes ejuſdem muſculoſas externas pertundit.

Ab humoribus quinetiam heterogeneis aliquando ad inteſtinum confluentibus, & muſculum ſphincterem perforantibus, abſceſſus & fiſtulæ ſuboriuntur, ratione ſuperius allata.

Atque hæ ſunt cauſæ, & modus generationis fiſtularum ani, & inteſtini recti. Ad ſigna modo progrediamur.

Signa Fiſtularum Ani, & Inteſtini recti.

CAPUT III.

SI fuerit fiſtula in partibus externis prope anum, quæ tamen muſculum ſphincterem non perforaverit, id ſpecillo patebit, prout ſi penetraverit in inteſtinum; intruſo ſiquidem digito oleo inuncto in anum, ſpecillum nudum illi occurret.

Dignoſcuntur fiſtulæ inter utramque tunicam inteſtini, immiſſo ſpecillo, ſi digito non fuerit obvium, ſed membrana ipſius inteſtini tectum. Obſervandum vero, quod ſpecillo immiſſo, totam longitudinem fiſtulæ deprehendimus, quo non pertingit digitus in anum immiſſus. An vero eadem fiſtula perforet inteſtinum rectum in muſculo ſphincter, vel ſupra eundem, hoc prodit ſignum: ſiquidem ſi digiti in anum intruſi apex ab eodem non conſtringi, ſed in loco veluti vacuo hærere ſentia-

ſentiatur; quo ſtylus quinetiam in fiſtulam demiſſus pervadat ad extremum uſque digitum, in illud ſcilicet cavum, fiſtulam perforare inteſtinum ſupra muſculum indicio fuerit; cujus inteſtini perforati ſigno ab omnibus propoſito, accedunt flatus, male olentes ſcilicet ex fiſtula erumpentes, aut fæces.

Utrum vero fiſtula fuerit in principio muſculi ſphincteris, medio, vel fine, perbelle patet digito, & ſpecillo, ut ſupra obſervatum. Quando vero ad veſicam tendunt fiſtulæ, ſitus id nobis demonſtrat, oculis ſiquidem ipſis id patet, ſpecillo in locum veſicæ demiſſo: ſi vero veſicam pertuderint, copioſa effluet urina, atque aut per totum vitæ curriculum laborant, aut miſere paucis poſt diebus ægri moriuntur, ſi fiſtula valde dilatetur. Et hæc quoad ſigna, in quibus medico-chirurgus multum accuratus deſideratur, in iis potiſſimum, quæ muſculum, & inteſtinum perforatum produnt.

De Fiſtularum Ani Prognoſi.

CAPUT IV.

OMNES fiſtulæ ſuperius deſcriptæ a perito Medico ſunt ſanabiles; prout, omni ambitione procul, feliciſſimo ſucceſſu earum quamplures, imo ſexcentas perfecte ſanavi, methodo inferius proponenda, quanquam in his quædam facilius, quædam difficiliùs; & quidem ægre admodum ſanantur, quæ ſcilicet ſupra ſphincterem muſculum inteſtinum perforant; ut quæ a Lue Galliça ſubortæ. Facilius vero, & brevi tem-

pore, quæ in orificio ani; minus facile, quæ in medio muſculo, ut & quæ inteſtinum perforant ſupra muſculum; quippe difficillime iſtæ, nec niſi longo tempore admittunt ſanationem.

Majori autem difficultate, ſi ſymptoma aliquod grave eiſdem acceſſerit, utpote inflammatæ hæmorrhoides, atque proximus illis ſubortus abſceſſus, dolor gravis partis affectæ, ut & callus annoſus, ac durus admodum; quæ ſymptomata licet diutius protrahant earum ſanationem, non vero eam prohibent omnino; quin potius his ſublatis, facilius eadem contingit.

Dubium vero apud auctores, utrum ani fiſtulæ occludi debeant, quibuſdam id omnino negantibus, utpote quæ inſanabiles, ipſorum ſententia, qui hanc curandi viam ignorant; quibus refragatus, cenſeo omnes debere, ac poſſe ſanari, his exceptis, quæ corpus cachecticum exercent; quo caſu obſervandum, an fiſtulæ poſt cachexiam ſint obortæ, an vero fiſtulas cachexia exceperit: ſi enim fiſtulæ cachexiæ ſuccedant, tunc non ſunt ſanandæ, niſi prius ſublata viſcerum omnium intemperie, & ad laudabilem redacta; quæ vero cachexiam præcedunt, omnino obducendæ.

Quod vero ex fiſtulis induci poſſit cachecticus habitus, facile eſt probare; ſanguis ſiquidem, dum circulatione partem a fiſtulis corruptam, ac proinde inquinatam alluit, pravam neſcio quam ſuſcipit qualitatem, quam viſceribus poſtmodum impertit, ac cachecticam infert diſpoſitionem; vel ſaltem, non conceſſa circulatione, ſanguinis tetri vapores, elevati a parte fiſtuloſa pure obſita

ſanguinem

ſanguinem contaminant, unde vitiata nutritione oritur cachexia.

Quod vero aliqui objectant, ſcilicet purulenta illa materia, quæ continuo ex fiſtula effluebat, erumpat, eadem ſanata; hanc certe inquiunt, tetram & corruptam neceſſe eſt recurrere, atque alias partes labefactare; ut propterea peſſimo conſilio fiſtularum ani ſanatio tentanda ſit. Reſpondemus, nullum ex earundem ſanatione ſequi detrimentum; ſiquidem prout natura ſingulis corporis partibus proprium alimentum largitur, ita parti fiſtula laboranti; cui tamen nutriendæ cum ſanguis laudabilis licet, accedit, corrumpitur, & in pus convertitur, qui propterea eſt expurgandus, unde ſanata fiſtula, alimentum illius partis non corrumpetur amplius; quinimo alimentalis ſubſtantiæ particeps in eam faceſſet, ut non ſit opus materiam illam refluere ad partes ſanas, atque ipſarum temperiem corrumpere; ut propterea fiſtulæ ani, & inteſtini recti poſſint, nullo ægrotorum periculo ſanari, ut ſæpiſſime obſervavi; præmiſſa tamen totius corporis cura, expurgantibus materiam morbificam & viſcerum nativam temperiem redintegrantibus; atque quo omnis prorſus timor abſit materiæ refluxus, fonticulus femori dextro inurendus, expurgandis quotidie excrementis.

Curandæ vero fiſtulæ ani, periculo gravioris mali, ex puris effluxu, ut ſæpiſſime fit, cohibito, quod acrius, & calidius in varios ſinus ſe diffundit, pertuſo inteſtino, & amplis ulceribus productis, ex quibus quamplures moriuntur; prout exacto bien-

biennio accidit Illuſtriſſimo, & excellentiſſimo Malipetro, D. Marci Procuratori, non admiſſa ſectione fiſtulæ ani: quod & in ſexcentis aliis obſervavi; ad quarum propterea curationem me accingo.

De Fiſtularum Ani, & Inteſtini Recti Curatione.

CAPUT V.

CURATIO fiſtularum duplex eſt; alia univerſalis, cauſæ; alia particularis ipſi morbo dicata. Univerſalem quod ſpectat, ſi viſcera patientis fuerint bene conſtituta, ut patet ex inculpata valetudine totius corporis, abunde erit corpus expurgare lenientibus, præparantibus & purgantibus, levioribus tamen, miſſo ſanguine, ſi opus fuerit, ex brachio vel pede; quanquam aliqui abhorreant a medicamentis; quibus quidem non refragamur, præſente optima corporis conſtitutione, qua præditos multos curavi, non expurgato corpore, felici ſucceſſu, & abſque ullo futuri morbi periculo. Quod ſi patiens fuerit mali habitus & cacochymicus, purgandus primo, ſemel & iterum, fluxioni arcendæ ac tollendæ; tum propinandum decoctum ex lingo Guajaco, Sarſaparilla, aliiſque medicamentis, pro ægri temperamento; præſente ſiquidem cachexia, raro admodum ex toto ſanantur fiſtulæ, niſi ſublata viſcerum intemperie, iiſdemque corroboratis. Quoad curationem topicam, multiplex ea eſt, pro varietate, & differentiis fiſtularum. Fiſtulæ quippe prope anum, quæ non pertingunt ad ipſius orificium, facillime

facillime ſanantur, non tamen abſque ſectione ; & quidem ſi rectæ, non ſæpius repetita, ſi ſinuoſæ, pluribus.

Primo igitur foramen fiſtulæ dilatandum turundis, imbutis aliquo proprio medicamento, unguento ſcilicet ex betonica, matriſylva & hujuſmodi ; ac quotidie eædem craſſiores immittendæ, donec foramen fiſtulæ ſatis ampliatum admittat ſcalpellum ad ſectionem ; quod ſi aliquando non ſufficiant, aliæ adhibendæ ex radice gentianæ, aut medulla ſorgi, vel ſpongia filo conſtricta : ſatis vero dilatato foramine, demittendus cultellus rectus, ab Aquapendente delineatus in inſtrumentis Chirurgicis, atque facienda unica ſectio ad fundum uſque ipſius fiſtulæ ; poſtmodum imponendi globuli imbuti ovi albumine, ad prohibendam inflammationem, ſuperinjectis ſtupis in eodem madefactis ; quibus poſtero die remotis, diligenter ſtylo inquirendi alii ſinus, qui dilatandi, atque ſecandi modo jam dicto ; tum refrigerantia applicanda, atque ſupra fiſtulam primo ſectam adhibendum digeſtivum. Quia vero ſæpiſſime a ſectione callus ſubortus impedit ſanationem, illi tollendo, ex uſu erit viride æris, vel præcipitatum inſperſum : cavendo tamen ne hæc corroſiva contingant labia vulneris, metu doloris gravioris. Quibus fruſtra adhibitis, deveniendum ad ignem actualem ; quanquam obſervaverim aliquando callum ſublatum ſolo digeſtivo ; quod licet alicui forſan novum, & præter rem videri poſſit, ſæpius tamen experientia mihi eſt compertum, potiſſimum vero in muliere quadam laborante antiqua fiſtula,

fiſtula, perfodiente ambas nates, per oſſis coxendicis foramina, quæ clauduntur a muſculis obturatoribus, externo & interno, quæ callo obdurauerat admodum duro, ad craſſitiem medii digiti, quam curavi amplis utrinque ſectionibus ad oſſa uſque; poſtmodum applicato digeſtivo, concoctionis cauſa, quibus callus mollior factus, levi negotio abſceſſit, inſtar corticis arboris, ſpatio quinque menſium, perfecte adeo muliere ſanata, atque multis poſt annis incolumi.

Conſumpto vero callo, deterſoque vulnere, caro generanda, non quidem unguentis ſarcoticis, utpote humidioribus, ſed ſiccis, de tuthia ſcil. vel Iſidis; atque ita globulis his imbutis vulnus implendum, ut caro e fundo ſuccreſcat, priuſquam illi imminuantur; necnon ſupra eoſdem applicandum ceratum de diachalcitide, vel de ceruſa, aut de gratia Dei; vel, hyemali potiſſimum tempore, Barbarum.

Producta æqualiter carne, inducenda cicatrix, non pulveribus, nec filamentis aridis, quibus labia vulneris calloſa evadunt, & cicatrix non ita facile obducitur; ſed eorum loco, medicamentis potentia ſiccis, actu vero humidis, prout ſupradicta unguenta Iſidis, de tuthia, de plumbo, & ſimilia, quibus dura ac ſolida evadet cicatrix, quæ difficilius dehiſcat.

Quia vero quandoque ſuccreſcit caro, quæ remoratur cicatricem, atterenda hæc alumine uſto, præcipitato & ſimilibus. Atque hæc de curatione primæ differentiæ fiſtularum.

Aliæ

Aliæ vero fiſtulæ, quæ ad orificium ani pertingunt, & ſerpunt exterius ſupra inteſtinum rectum. non tamen ipſum perforant, non ita facile ſanantur, ob copioſas humiditates, quæ ab inteſtinis continuo defluunt. Iſtæ tamen, prout in aliis diximus, ſunt dilatandæ, & ſecandæ; nullo quippe alio præſidio ſanantur.

Hic oritur dubium, an ſectio ſit facienda in interna, an externa parte; ſi enim externa longior videtur futura, ac nimis profunda, non levi ſane periculo fit, ratione magnæ ſectionis; ſi interna, vulnerantur ſanæ partes. Id tamen ſolvitur, quod ſcilicet ſectio internæ partis ſit præferenda; quia fiſtulæ, quæ ſerpunt ſecundum inteſtinum rectum, quamvis ipſum non perforent, nunquam poſſint conſolidari, niſi ipſo quinetiam ſecto; nec abſque ratione, cum heterogeneæ ſubſtantiæ ſint, inteſtinum & caro circumpoſita, quæ proinde non poteſt agglutinari, niſi carneæ ſubſtantiæ ope, quod per ſectionem curandum.

Quod vero caro inteſtino coaleſcere non poſſit, cauſa eſt humiditas ichoroſa, quæ ab ejus membranis effluens, humectat carnem ipſam, impeditque quominus poſſit agglutinari; ut propterea non ſit omnino metuenda muſculi ſphincteris & inteſtini recti ſectio; hac tamen cautione, ut muſculus non totus ſecetur, ne fæces involuntarie excernat.

Facta ſectione, omnia præſtanda ſuperius præſcripta, hoc ſolum excepto, ut digeſtivi loco, utamur unguento ex Betonica, vel de matriſylva aliquot dies; adhibitis deinde exſiccantibus paulo

validioribus, coercendæ ſuperfluæ humiditati, atque ſolidiori carni in fundo fiſtulæ producendæ; oppleta vero fiſtula carne firma & laudabili, obducenda cicatrix modo ſupra dicto; quæ tamen mollior ſit, non dura, quo muſculus perfecte conſtringi poſſit; hæc ſiquidem aliquando dura adeo evadit, ut ille ſatis non poſſit coarctari, non ſine involuntaria fæcum excretione, cujus cauſa imperiti ſectionem muſculi a Medico factam calumniantur.

Quod ſi contingat callum durum produci, emolliendus erit aqua forti, vel ſpiritu vitrioli; præter inſeſſus in aquis noſtris thermalibus, apprime utiles, quarum vis non ſolum callos emolliendi, ſed etiam ſimul & ſemel mirifice corroborandi partes læſas: in quam rem propterea vitanda olea, unguenta, & cerata, quippe quæ laxando, reddunt partes fluxioni obnoxias, & callo non niſi tardius producendo opportunas.

Succedit modo curatio fiſtularum, quæ inteſtinum perforant, ſive in externa muſculi ſphincteris, ſive media, ſive ſuprema ejuſdem parte; quæ tamen loci diverſitas non mutat curationem, ſed ſolummodo ejuſdem tempus; extremi quippe muſculi fiſtulæ citius ſanantur, medii vero, vel ſupremi, tardius, propter profundas ſectiones, quibus ad perfectam earundem ſanationem opus eſt; quæ, prout aliæ omnes, primum dilatandæ turundis accommodatis, mox ſecandæ; idque duplici ratione, vel ſyringotomo, vel filo ſerico, aut ſeta equina. Utimur filo, patientibus ferrum reformidantibus; licet hæc ſectio longa ſit, & dolore

dolore moleſta; frequentius vero ſyringotomo, quia citius, & minori dolore operatio perficitur.

Patefacta fiſtula, alterutro modo ſupradicto procedendum, cavitaſque ex ſectione opplenda globulis imbutis ovi albumine. Notandum tamen, quod hæ fiſtulæ plures poſtulant globulos, ut ſectio patens fit, ne coaleſcente denuo inteſtino, quod facile fit, partibuſque circumpoſitis, fiſtula eodem ſtatu, quo antea vigeat. Facta coctione, potius unguento ex Betonica, cum digeſtivo, atque optimo pure apparente, producenda caro: non quidem ut aliorum vulnerum, ratione ſuperius allata, unguentis de Betonica, vel de matriſylva, quibus, ob actualem humiditatem laxa fit & mollis, in parte potiſſimum humidiori, ſed adhibitis filamentis ſiccis, pulveribus tuthiæ præparatæ, terræ ſigillatæ, cornu cervi uſti, plumbi, & hujuſmodi medicamentis, actu & potentia ſiccis inſperſis, quibus cicatrix quinetiam firma obducitur.

Quod ſi muſculi ſphincteris multum ſit abſciſſum, contraria inſtituenda curatio, unguentis nempe actu humidis, potentia vero ſiccis, ne cicatrix, ut jam docui, durior & ſolidior evadat, quæ prohibeat conſtrictionem ipſius muſculi, cum fæcum involuntario exitu.

Modum vero quod attinet curandi fiſtulas, quæ inteſtinum perforant ultra ipſum muſculum ſphincterem, ſuperiori parte, quanquam inſanabiles a multis habentur, niſi toto muſculo ſphincftere præfecto, ex quo involuntaria fæcum excretio, eas tamen ſæpius ſanavi ſumma felicitate,

citra illud incommodum, facta congrua dilatatione, prout in aliis omnibus præſcriptum ; muſculus ſiquidem ſphincter eouſque ſecandus, ut aliqua ipſius pars, Verbi Gratia, ad latitudinem annuli, integra ſuperſit, ac intacta, quæ ſuo fungatur officio.

Facta ſectione, ſuperſtes fiſtula erit inurenda, ut callus tollatur, cujus ſublata cruſta butyro, vel digeſtivo, implenda cavitas globulis, imbutis unguento de tuthia ; hac obſervatione, ut imminuantur illi, donec proba caro æqualiter generetur, & cavitas oppleatur.

Quia vero plurimum accidit, ut propter redundantem humiditatem partis, generetur caro fungoſa, & mollis, huic abſumendæ, valet unguentum Iſidis, cum unguento de tuthia æqualiter mixtum, uſque dum caro utilis producta fuerit, cicatrice poſtmodum obducta.

Succedunt modo fiſtulæ, quæ ſerpunt inter utramque tunicam inteſtini recti, & ſuperius tendunt, modo ultra latitudinem ſphincteris, modo infra ; quæ tamen raro calloſæ fiunt, ut ego obſervavi, propter affluentem humiditatem inteſtinum, & membranas continuo alluentem, quæ proinde ſtatim ſunt dilatandæ turundis ex panno lineo confectis, vitatis illis ex medulla ſorgi, radice gentianæ, & ſpongia præparata, quæ plus ſatis dilatando, lacerant membranas inteſtinorum ; quibus abunde dilatatis, ſecandæ illæ ſunt ſecundum longitudinem, abſque ullo metu læſionis muſculi ſphincteris ; ad interna vero facienda eſt ſectio.

Dum

Dum vero ſecantur, immittenda intra anum cannula rotunda, altero extremo clauſa, altero vero latere fiſſura patefacta, in cujus medio lana mollis, vel goſſypium lateat, ne acies ſcalpelli hebetetur; cujus cannulæ uſus eſt, ut ſecta fiſtula, excipiat gladiolum, illæſis proinde inteſtini partibus oppoſitis.

Curantur facile iſtæ fiſtulæ ſectæ obducta cicatrice, injectionibus exſiccantibus bis per diem infuſis, necnon immiſſis turundis imbutis unguento ex tuthia, atque pulveribus itidem exſiccantibus.

Facta ſectione, ſtatim indenda turunda longa, ad fundum uſque ſectionis pertingens, illita ovi albumine, cum bolo armena orientali conquaſſato; poſtero die ad deterſionem, injicienda aqua hordei, cum melle roſaceo, & ſupra turundam, inſpergendi pulveres ex bolo armena, terra ſigillata, cornu cervi uſto; tum ad exſiccandum tum ad adſtringendum. Notandum vero, quod his fiſtulis nunquam digeſtivum adhibendum, ne tenues membranæ inteſtini corrumpantur. Tranſactis quatuor aut quinque diebus, parandæ injectiones ex aquis thermalibus montis ægrotorum; vel harum inopia, artificialibus ex vitriolo, nitro, ſale, alumine cum aqua communi, immiſſa ſemper turunda imbuta prius unguento ex tuthia; deinde pulveribus exſiccantibus jam dictis; quibus remediis obducenda cicatrix, quæ durior licet & calloſa, nequaquam tamen præpedit conſtrictionem muſculi ſphincteris; quinimo ſi mollior foret, brevi reſolveretur de novo ab humiditate continuo partem illam alluente.

Supereſt

Supereſt curatio fiſtularum ad veſicam ſerpentium, quæ differunt: quædam enim perveniunt ad ejus collum; & quidem, aut juxta ejus exortum, vel medium, vel finem, nec ipſum perforant; aliæ ipſum perforant; aliæ ipſum pertundunt in ejuſdem exortu, aut medio, aut circa finem, qua veſica annectitur ſuæ cervici.

De prioribus actum in tractatu de fiſtulis urethræ, de aliis non eſt differendum, cum omnino ſint inſanabiles, & ſolo prognoſtico relinquendæ, ne infamentur præſidia, quæ multis fuere ſaluti, ex Celſo; ut proinde earum ſola curatio docenda ſuperſit, quæ pervadunt ad cervicem veſicæ, ipſam tamen non perforant, in quibus majori dilatatione opus eſt, quam in ſuperius propoſitis; in quam rem, ex uſu ſunt turundæ ex ſpongia contorta & compreſſa, radice gentianæ, medulla ſorgi, vel ſambuci; atque dilatata fiſtula, facienda ſectio, non quidem ſcalpello, ſed gladiolo in hunc uſum parato, admodum recurvo, dorſo lævi, ne lædatur collum veſicæ, acuta acie, quod partes illud inveſtientes ſint membranoſæ, quæ difficulter ſecantur. Si ſint plures ſinus, prout plurimum fit, pluribus quinetiam ſectionibus patefaciendi, illæſa ſemper cervice, ne Medico infamia inuratur; turpe quippe ac fœdum foret, urinam per aliam partem effluere, quam naturalem. Facta ſectione, callus removendus, tum abſolvenda curatio modo jam propoſito in aliis fiſtulis; a quibus iſtæ non differunt, niſi ratione ſitus. Obſervandum tamen Medico, ut ſtatim ad fiſtularum ani curationem ſe accingat, niſi renuente

nuente ægro; ſuppreſſa ſiquidem, ut ſæpe fit, purulenta materia, varii ſinus excavantur, unde progreſſu temporis fiſtula in plures diffunditur, ex qua materia ſuppreſſa ſuboriuntur aliquando abſceſſus, non ſine magno dolore, & febre ſatis gravi.

Quod ſi fiſtulæ fuerint amplæ, deducunt totum corpus in cachexiam; ſanguis quippe, dum circulari motu movetur, & partem affectam permeat, ſuſcipit neſcio quam malam qualitatem, & inquinatur, atque a parte fiſtula excavata elevantur vapores putridi, qui labefactant viſcera naturalia & vitalia.

Fiſtulæ vero, quæ perforant inteſtinum, ideo ſtatim ſunt curandæ, quia ægri plurimum laborant teneſmo, & frequenti dejiciendi cupiditate, cum doloribus in excretione fæcum; & quod gravius, cum pars affecta pure ſemper redundet, accidit ſæpius, ut in ulcera phagedæna faceſſant; quod frequentiſſime obſervavi.

De Symptomatibus ſupervenientibus curationi Fiſtularum ani, & Inteſtini recti.

CAPUT VI.

PRÆCIPUA Symptomata, quæ in fiſtulis ani ad ſe trahunt curationem, ſunt, ſanguinis fluxus, inflammatio, vehemens dolor, & hæmorrhoides. Dolor ſedandus anodynis, ut oleo amygdalarum dulcium, violarum, chamæmelino, lacte, butyro loto aqua roſacea, & hujuſmodi.

Ali-

Aliquando inſignis ſuboritur inflammatio, præſertim ex ſectione, ſi fuerit magna, ratione ſcilicet doloris attractis humoribus; tunc vero applicanda repellentia, ut ovi albumen, ſuccus plantaginis, portulacæ, polygoni, myrtillorum; atque ſi dolor & ardor urgeant, educendus ſanguis e venis ſuperioribus, revulſionis cauſa, ad partes longinquas.

Tument vero ſæpiſſime hæmorrhoides, ſectione potiſſimum, & applicatione medicamentorum acrium irritatæ: hinc acuti dolores, qui curationem trahunt, quibus ex uſu eſt linteum in lacte tepido expreſſum, & applicitum, necnon offa panis lacte vaccino imbuta, & appoſita; prout optimum unguentum roſaceum; quo caſu conveniunt quinetiam ſtupefacientia, leviora tamen, ut unguentum populeum, vel ſantalinum, cum portiuncula opii. Nullum vero præſtantius remedium ſectione venæ brachii, ratione revulſionis, poſtmodum ex pede, derivandi cauſa, ratione morbi & virium.

Ultimum ſymptoma eſt ſanguinis profluvium; ſecantur quippe aliquando rami venarum hæmorrhoidalium, qui ſtatim ſanguinem magno impetu effundunt; qui proinde omni ope ſiſtendus, cum in eo vita conſiſtat; applicandum propterea goſſypium uſtum, cum pulveribus adſtringentibus; necnon ſtupæ imbutæ ovi albumine, parte manu apprime compreſſa per aliquod tempus, donec coerceatur; quo apparatu utendum duos aut tres dies, quouſque ſponte a pure alluente defluat. Quibus vero inſtituta eſt aliqua ſectio, vel hæmorrhoides

morrhoides fluunt, inſeſſus ex aquis thermalibus non ſunt adminiſtrandi, utpote qui facultate quadam fluxum ſanguinis denuo excitant, quorundam chirurgorum graviſſimo errore, qui illis utuntur.

De Obſervandis in curatione Fiſtularum Ani, & Inteſtini Recti.

CAPUT VII.

PERPERAM exiſtimant multi Pſeudo-Medici, ſe ſanare poſſe fiſtulas ani, & inteſtini recti balſamis, unguentis, injectionibus, aliiſque hujuſmodi præſidiis; verum fruſtra laborant, cum hæ non niſi ſectione, & uſtione ſanabiles ſint. Siquidem ego ſpatio quinquaginta annorum, nullam vidi fiſtulam ani, ſanatam perfecte; licet obſervaverim aliquas, barbitonſoribus, imperitiſque Chirurgis ad cicatricem deductas quibuſdam arcanis remediis, ſed in ſpeciem ſolum, & ſuperficie tenus; in quarum quippe fundo materia purulenta deliteſceret, paucos poſt dies in novas majores fiſtulas & graviores diffuſa.

Quare ſi ex toto fiſtulæ ſint ſanandæ, ferro ſunt omnino ſecandæ; quod licet multi reformident, Anatomes ignari, ejuſdem tamen periti nullo periculo, & metu hoc præſidio utuntur; quod tamen caute adminiſtrandum in hujuſmodi fiſtulis, ne lacerentur venæ ſedales, hæmorrhoides dictæ, cum ſanguinis erumpentis magno impetu, qui non adeo facile ſiſtitur. Si itaque hæmorrhoides non tumeant, faciendæ ſectiones inter

unam & alteram ani rugam; ſi vero appareant, eadem inter ipſas adminiſtranda.

Fiſtulæ profundæ opus habent pluribus, & repetitis ſectionibus, metu inflammationis; unica enim & ampla, ob vulneris magnitudinem, dolorem & inflammationem excitat; quod obſervandum etiam in ſinibus profundis; ut propterea graviſſimo errore quidam imperiti chirurgi, laniones potius, ſtatim poſt ſectiones ani & inteſtini recti, ferramento candente urant partes recens cultro læſas, unde dolor inſignis & curatio longius protracta.

Sæpiſſime vero accidit, ut flaccida caro ſub creſcat, quæ corroſivis abſumenda, alumine ſcilicet uſto, præcipitato, viride æris, trochiſcis de minio, & hujuſmodi: in quorum tamen medicamentorum uſu obſervandum, applicanda mane potius, quam veſperi, ne ratione doloris, patientibus ſomnus intercipiatur, magno eorum detrimento; multos ſiquidem vidi, qui ob vigilias, & dolores a medicamento veſperi adhibito, inciderunt in febres; quod non accidit, ſi interdiu eadem medicamenta uſurpentur; quia vis ſenſitiva occupatur, & avocatur a variis objectis externis; præterquam quod poſſumus eadem removere, & illorum loco, ſedantibus dolorem uti, ſine ullo incommodo patientis & ſomni, quod noctu commode præſtare non poſſumus.

Quod ſi pars ægra dolore afficiatur, adſitque febris, vel inflammatæ hæmorrhoides, tunc a ſectione abſtinendum, donec propriis remediis cedant; contingit vero aliquando dolor a materia purulenta, ſuppreſſa in aliquo loco ipſius fiſtulæ,

& po-

& potiſſimum in aliarum partium fiſtulis, & ſinibus flexuoſis, in quibus acrimonia corrodit partes ſubjectas, & dolores infert continuos, quibus ſanandis ſtatim facienda ſectio, ut eadem effluat.

Obſervandum etiam ſumma diligentia, ut antequam ægri hujuſmodi dimittantur, ſectiones omnino ſint carne oppletæ, & cicatrice obductæ; ſi enim vel minimum quid earum ſuperſtes fuerit, non occluſum, progreſſu temporis puris guttæ genitæ erodunt partes, atque ulcus & fiſtula ſuboriuntur; cujus erroris crimine laborant Medicorum nonnulli.

Advertendum quinetiam, quarundarum fiſtularum, ut ſuperius diximus, ſi media aliquando tantum pars ſecetur, alia ſuperſtite integra, eas vel ſponte a natura perfecte ſanari, vel aliquando balſamo nigro Peruviano infuſo: idque propria experientia, in iis potiſſimum, in quibus non adſit callus confirmatus, & valde durus: vel ſimili aliquo alio Balſamo artificiali.

Obſervatio de Fiſtulis Ani.

Quatuor fiſtulæ perforantes rectum inteſtinum, in infantulo unius menſis, perfecte ſanatæ.

CURAVI infantem unius menſis, Nobilem Patavinum, laborantem quatuor fiſtulis ani, perforantibus rectum inteſtinum, parte inferiori.

A principio exiguis turundis duas tantum ipſarum dilatavi, impoſito filo ſerico, cui alligavi parvum ſyringotomum, arte paratum; quas poſtmodum ſanavi modo ſuperius propoſito, tractatu

de fiſtulis, alias vero duas eadem methodo ſecui, & ad cicatricem deduxi, ægro firma etiamnum valetudine degente. Quod obſervaſſe e re fuit, ut rarum, ratione ætatis.

De Ulceribus Ani,

QUIA vero noſtro ævo frequentiſſime ſuboriuntur ulcera in inteſtino recto, ægre admodum ſanabilia, ut quotidiana patet experientia, modum propterea hæc ſanandi proponere decrevi, hoc præmiſſo, quod pleraque horum ulcerum ortum ducunt a Lue Venerea, & potiſſimum præpoſtera, raro vero ab alia cauſa; licet quædam oriantur a dyſenteria, in parte nempe ſuperiori ipſiu inteſtini recti & colſi; alia vero ex hæmorrhoidibus, partis ſcilicet inferioris ejuſdem recti, & circa orificium ani; rhagades vero, vel ſciſſuræ quæ a ſalſo & acri humore ortæ; facile tamen ſanabiles, dummodo mala aliqua qualitate careant. Ulcera autem ex dyſenteria facta, deterſione aqua hordei & melle roſaceo iterum, & tertio per ſiphonem infuſis; poſtmodum noſtris aquis thermalibus, brevi ſpatio temporis ſanantur; prout rhagades unguento ex ceruſa camphorato, ducto in plumbeo mortario. Ulcera vero Venerea, quæ plurimum ſupra muſculum ſphincterem, non adeo facile; ex concubitu quippe ſemen corruptum, & virulentum in ipſo ſuperſtes, ulcera ampla excitat, quæ progreſſu temporis ſerpunt, aut ſuperius, vel inferius: cum obſervaverim

verim in cadavere ſupra triginta ulcera, diſtincta magnitudine unguis ſupra ipſum muſculum ſphincterem, per totum rectum inteſtinum ſerpentia, ad coli quinetiam partem aliquam, ex quibus ulceribus duæ treſve libræ puris per diem evacuabam. Hic autem patiens erat valde emaciatus, cum febre lenta ex ulcere, qui a me curatus tredecim, aut quatuordecim dies, tandem obiit. Præter ulcera vero ſupra muſculum ſphincterem, adfuit ſinus quidam, ab ulceribus ſuperioribus ſerpens, uſque ad ani orificium; quorum ulcerum cauſa fuit Medicorum incuria, qui duos ante annos ipſum non ſanatum dimiſerunt, ejuſdem ſalutis prætextu, quod materia a toto corpore maligna expurgaretur; ut propterea miſerrimus patiens ſine remediis diem obire coactus ſit; quamobrem modum docere decrevi, quo in curatione horum ulcerum uti ſoleo.

Primo itaque totum corpus ab humoribus expiandum medicamentis propriis, humores redundantes purgantibus; deinde aſſumendum decoctum ex Ligno Guajaco, & ſarſa, per quadraginta dies, cum ſudore, prout in Lue Venerea; atque dum hæc fiunt, adhibenda remedia topica, in primis injectiones a principio, ex aqua hordei, miſta cum Unguento Ægyptiaco, ad abſtergenda ulcera, ſemper ſordida, uſque dum dolorem inferunt, atque cum ex ipſis aliqua portiuncula ſanguinis effluit; tunc vero abſtinendum ab Ægyptiaco, cujus loco erit decoctum Guajaci, ſcordii, virgæ aureæ, & hujuſmodi; poſtmodum utendum aquis noſtris thermalibus montis Ægrotorum: atque

ab

ab injectionibus immittenda ſemper turunda longa & craſſa, imbuta unguento rubro Placentini dicto, aut unguento ex tuthia, miſto cum unguento Iſidis æquali doſi, & aliqua ſemper portione præcipitati, ut Lui Venereæ dicati. Quo modo multa ulcera Venerea ſanavi, & quotidie ſano; quanquam ulcera quandoque adeo maligna occurrunt, quæ remediis dictis non cedunt, in quibus deveniendum ad ignem, quo inurenda non ſolum ſemel, ſed iterum, & tertio, ac quarto; atque ne partes ſanæ lædantur, locus primo ulceris inveniendus; in quam rem utuntur quidam inſtrumento ſpeculo ani vocato, quo lacerant partes, cum dolore, & inflammatione; neque tamen locus ulceris patet; ut propterea uſum ſpeculi non probem, cum facilius quod optamus conſequi poſſimus. Quo itaque ipſum duntaxat ulcus inuratur ſine læſione aliarum partium, hac methodo utor; immitto turundam longam, craſſam, aliquo unguento ex prædictis imbutam, quatuor aut ſex horarum ſpatio, qua educta, obſervo, quæ pars ejuſdem unguento careat, cujus loco aliqua materia purulenta ſuperſtes ipſi turundæ inhærens patefaciat locum & magnitudinem ulceris; tum mihi paro cannulam ejuſdem longitudinis, quæ poſſit pervenire ad ulcus, cujus extremum ſit obturatum, & perforatum tantum illa parte, quæ ulceri reſpondet; deinde munio cannulam linteolo imbuto ovi albumine cum aqua roſarum, ipſamque in anum intrudo, & ferramento candente per eandem immiſſo, repetitis vicibus inuro ulcus; hac tamen cautione,

ne

ne frequentius id fiat, & citius, remoto ferramento candente, potius quam eodem diutius intra cannulam contento, ne ſcilicet inteſtinum rectum altius inuratur & perforetur. Facta inuſtione, duos aut tres dies utendum turunda imbuta butyro; poſtmodum deveniendum ad injectiones ſuperius dictas ex aquis thermalibus, vel decoctionibus exſiccantibus, impoſita ſemper turunda imbuta dictis unguentis: qua methodo multa ulcera Venerea inteſtini recti ſanavi, quam propterea latere nolui.

Obſervatio Singularis.

Gravia ſymptomata ex vi in anum immiſſa cauda porcina, ejuſdem ſetis ad medium uſque ſectis, brevi omnino ſedata, cum ſalute ægræ.

MEMINI Meretricem quandam in vitæ periculum deductam, cui a quibuſdam ſtudioſis cauda porcina, quæ acri hyemis frigore obriguerat, intra anum immiſſa fuit hac ratione; ſectis ſcilicet primo ſetis ejuſdem, ad medium uſque, valde aſperis, poſtea inuncta eadem oleo, atque in anum ipſius mulieris vi intruſa; cum vero aliqua portio ipſius caudæ, longa tres digitos, extra emineret, atque eandem Medici tentarent educere, pili inverſi defigebantur in inteſtinum rectum, ut dolorem ægra ferre non poſſet; cum vero medicamenta poſtmodum per os exhibuiſſent, ſpeculumque immiſiſſent, ut anum dilatarent, & educerent caudam, fruſtra fuerunt, adeo ut ſex dies alvus illi ſuppreſſa fuerit, accedente vomitu,

cum

cum febre, & dolore omnium inteſtinorum: accitus vero, cum omnia prædicta intellexiſſem, arundinem longam duas, aut tres ſpithamas perforavi, in extremo lævigatam; deinde filo craſſo extremum ipſius caudæ, extra anum prominens arctæ alligavi, atque immiſſo filo in cavitatem ejuſdem arundinis in podicem immiſi, per quam filo attracto caudam eduxi, illæſo omnino inteſtino recto, ex quo ſtatim maxima copia fæcum effluxit, cum patientis levamine; poſtmodum injecto duos aut tres dies lacte caprino, bis, terve per diem, atque ſedato dolore, graviſſimo certe, infudi vinum nigrum auſterum, ad corroborationem partis: quibus ex toto convaluit ægra.

DE

DE

ULCERIBUS

ET

FISTULIS

URETHRÆ.

ORIUNTUR ulcera ex gonorrhœa Gallica, plurimum in extremo collo veſicæ, atque urethra: aliquando etiam ab humoribus calidis, acribus, & corrodentibus, licet raro. Ulcerum autem colli veſicæ in perineo ſitus; eorum vero, quæ paulo infra ipſum, in ſcroto: quandoque vero inter glandem & penem deliteſcunt, in foveola ſcilicet illa, ubi glandis ortus. Hæc autem non ita facile ſanantur, niſi ex toto gonorrhœa ſublata: quæ enim ab aliis humoribus oriuntur, emulſione ſeminum melonum, decem aut duodecim dies, ſponte ſunt ſanabilia. Si itaque ex gonorrhœa ortum ducant, curanda hæc medicamentis accommodatis, ab omnibus propoſitis, luem ſpectantibus, decocto ſcilicet Guajaci, cum ſudore, & hujuſ-

modi. Sanata Gonorrhœa, ulceri incumbendum primo: niſi enim ſanetur, caro ex ipſo luxuriat, unde affectio, quæ ſarcoma Græcis, vulgo carnoſitas, quam lithotomi corroſivis medicamentis atterunt. Hæc itaque ne ſuccreſcat, ulcera curo candelis quibuſdam, compoſitis ex pulveribus plumbi uſti, ceruſæ, tuthiæ præparatæ, miſtis cum cera, in urethram immittendis, & detinendis diu noctuque, quæ, meiendi pruritu ſolicitante, educuntur: quibus ſolis hæc ulcera ſano. Obſervandum tamen, non eſſe imponendas, fluente gonorrhœa, ne ab iiſdem ſuppreſſa, exulceret collum veſicæ, & alias partes proximas; atque ſi malignitatis aliqua ſuſpicio ſubſit, eadem candela imbuenda unguento ex ceruſa camphorato, miſto cum præcipitato pulverizato, abſque ullo metu, ne hoc exulceret partes ſanas; tum quia eſt correctum unguento ex ceruſa; tum propria experientia duce, hoc ſcilicet non excoriare partes ſanas, ſed tantummodo extinguere malam qualitatem ulcerum, qua ſublata, candelis ſupra dictis poſtmodum ſanantur facillime, in quam rem utor etiam aqua Aponitana, aſſumpta per os, ad decem libras, cum ſpiritu terebinthinæ, aut vitrioli, decem aut duodecim dies, quatuor horis ante prandium, qua, urinæ meatum perlabente, ejuſdem vi exſiccante ulcera urethræ facillime conſolidantur, qua methodo quamplurima hujuſmodi ſanavi.

Et quia ſolent perforare urethram cum integumentis, aliquando in perineo, quandoque in ſcroto, ab illis, progreſſu temporis, fiſtulæ ſuboriuntur:

quæ

quæ ſi in perineo, abſente gonorrhœa, pars calloſa circa urethram, & partes adjacentes, inurenda ferramento candente, quo caro illi accreſcat, & ad cicatricem deducatur fiſtula; hac tamen lege, ne illa inuratur, atque fiſtula amplior fiat, nec urethra, pars ſpermatica amplius inſtauretur, & reſarciatur; ut propterea ſat futurum ſit, eidem parti circum circa carnem inducere, quæ vice ſit urethræ, ut cicatrice obduci poſſit medicamentis ſarcoticis, & epuloticis jam dictis.

Obſervandum tamen, quod ſi pars interna urethræ non ſolideſcit, oriri carunculam ſuperius jam dictam; ac proinde in curatione harum fiſtularum, patienti candelam ceream in eadem ſemper geſtandam, ne incaſſum omnia adhibeantur.

Si vero pars urethræ ſcroto oppoſita fiſtula laboraverit, urina ex ipſa effluens ſcrotum corrodit pluribus foraminibus, quæ curatio ardua admodum & difficilis, licet facili ſucceſſu eandem ſæpius hac methodo tentaverim. Expiato prius corpore, & exhibito decocto Guajaci, cum ſudore, fluxioni ſiſtendæ, ſtatim accedo ad partem ipſam læſam, quæ ſi multiplex fuerit, omnes fiſtulas ſeco, & per candelam propoſitam omnem operam in ſananda urethra adhibeo; cum alia ratione fiſtulæ ſcroti non omnino ſint ſanabiles, niſi cura palliativa, qua denuo recrudeſcunt: quod ſi non poſſit ſanari urethra candela, ſcrotum ſecandum, uſque ad illius fiſtulam, ipſaque inurenda, modo jam dicto, & carne ſectæ partes opplendæ; ac tandem cicatrix inducenda medicamentis propoſitis. Contingit vero aliquando,

quod in quibuſdam obſervavi, ut ſcilicet pertuſa urethra ex gonorrhœa, amplo foramine, urina profluat, & ſcrotum repleat, ad magnitudinem quandoque capitis pueri, dilatatis nempe partibus ejuſdem, unde dolor, & inflammatio inſignis, ex qua tandem gangræna, & ſphacelus; quorum cauſa, ferramentis candentibus, & incidentibus pars ipſa alienata, & emortua amputanda: quod aliquando obſervavi, ſcroto ſphacelo corrupto, & extirpato, nudatos teſtes, foramine amplo in urethram patefacto; quod ſanavi modo ſuperius propoſito, per candelam ſcil. & uſu ſarcoticorum ac tandem epuloticis: neque alia ratione vidi hujuſmodi patientes ſanatos, quæ licet ab aliis Medicis forte obſervata, propria tamen experientia confirmata, addere præter rem non exiſtimavi.

DE

SPINA VENTOSA.

MATERIA hujus morbi eſt Pituita, locus affectus ſemper articuli, nunquam vero internodia primaria ; quæ tamen ſi aliquando corrumpantur, id fit ratione ſympathiæ.

Modus generationis hic eſt ; ſi pituita nutritioni articulorum dicata, putreſcat, aut quodammodo fiat acrior, primo oſſa corrumpit, & quidem nullo dolore, quibus poſtea corruptis, perioſtium labefactatur ; cujus ſignum, dolor pungitivus, acutus, & lancinans, ita ut patiens referat ſe veluti Spina pungi, unde ſpinæ nomen morbo inductum : dum vero hujuſmodi dolore æger divexatur, atque perioſtium eroditur, nullus adhuc apparet tumor ; corruptis vero, & quidem primario oſſe, ſecundario vero perioſtio, materia pituitoſa libere permeans per loca carnoſa, attollit articulum affectum in tumorem, primo mollem, & laxum, ac doloris expertem, cuti concolorem qui patefactus

patefactus durior evadit, confluente eo humorum copia, quorum tenuior pars exhalat, ſuperſtita craſſiori; ex quo inſuper emanat materia ſeroſas atque ſpecillo, os corruptum, prout dixi, ſe prodit. Ad vigeſimum vero quintum annum circitur ut plurimum obſervavitum viros, tum fœmine, huic morbo obnoxios, non vero provectiori ætate, niſi antea eodem tentati necdum convaluerint.

Signa pathognomonica ſunt, dolores a principio inſtar puncturæ ſpinæ, articuli affecti, adoleſcentia, tumor mollis, laxus, qui hians, ſeroſitatem effundit, cui ſi pus immiſtum fuerit, hujus ex corroſis partibus carnoſis aliqua portio gignitur.

Quoad Prognoſticum; hic morbus ægre ſanabilis, tum propter aſſiduum materiæ confluxum; tum ratione corruptionis oſſis, quæ quo gravior, difficilior evadit ſanatio, incipiens facilius cedit antiquo; nunquam tamen ſanandus, niſi remota fluxione, & ſublato toto oſſe corrupto, vel igne, vel ferro.

Curationem quod attinet, ſtatim ac patiens conqueritur de dolore pungitivo ſpinoſo veluti, in articulis vel manuum, vel pedum, cubitorum, aut genuum, quanquam hoc rarius, ſive malleolorum, ſtatim, nullo licet apparente tumore, ſectio ejuſdem eſt facienda, a qua non tam cito demittendum ſpecillum, quo os corruptum inæquale percipitur, indicio ejuſdem ante ipſum perioſtium corrupti, tunc vero prima elicitur indicatio, nempe ejus cariem abradendi, ſine cujus præſidii ope tum in ulceribus, tum in vulneribus nunquam ad firmam cicatricem deducuntur; oſſe vero ſublato

lato, curanda carnis generatio, cicatrice tandem inducta, methodo recepta.

Quod ſi propter loci profunditatem ferramenta abraſoria inſinuari non poſſunt, utendum igne actuali.

Dilatato igitur foramine, ſectione, ſpongia præparata, radice gentianæ, medulla ſambuci, aut ſorgi, in idem demittenda cannula ferrea utrinque perforata; mox candenti ferramento os corruptum, inurendum, quouſque perito artifici ex uſu videatur futurum, ut ſtatim abſcedat, tum vero curationis quod ſupereſt, modo ſuperius propoſito proſequendum.

Quia vero interdum accidit, ut totum internodium, maxime in pueris, digiti manus, vel pedis ſit corruptum; hoc caſu neque ignis neque ferramenta juvant; quorum loco utendum trepano tenuiori, quo perforanda media pars ejuſdem, a qua, forficulis affabre in hunc uſum paratis, partes laterales ſecandæ, atque totum internodium paulatim educendum volſella, cujus vacuus locus progreſſu temporis carne oppletur, quæ quidem in pueris duriori quodammodo facta, & veluti calloſa; oſſis vice fungitur; quanquam ubi totum internodium eſt ablatum, digitus, muſculis ad caput ſuum adductis, & cedente carnis mollitie, decurtatur.

Quod ſi Medicus accedat, facta jam ſoluta unitate ab ipſa materia pituitoſa ex putredine acriori facta, tota curatio dirigitur ad ablationem oſſis corrupti, machinamentis, & induſtria ſuperius propoſitis;

poſitis; quibus aliquando duo, tria aut plura quinetiam oſſicula evelluntur.

In oſſis vero abraſione, uſtione, aut evulſione, cavendum ne tendines offendantur, metu convulſionis.

Hæc eſt curatio topica hujus morbi; cui totius corporis cura præmittenda, medicamentis pituitam expurgantibus: quinimo ad exſiccandum, exhibito decocto ex China, ſarſa, ligno Guajaco, & hujuſmodi.

Atque hæc ſatis de curatione ſpinæ Ventoſæ; de qua agere decrevi, utpote a nullo Auctore accurate, data opera ſatis explicata.

OBSER-

OBSERVATIONES

POSTHUMÆ

Ex Auctoris M. SS. excerptæ,

Ultimæ editioni additæ.

De Pudendis Muliebribus.

OBSERVATIO I.

Puella laborans conjunctione labiorum Pudendi.



ANDEM ſupereſt caſus, a me obſervatus, Vaginæ Pudendoque Muliebri accedere, vobis enarrandus. Nobiliſſimam itaque obſervavi Puellam, ætate duorum annorum, laborantem conjunctione labiorum Pudendi & Vaginæ, illæſo tamen meatu urinario; quam, ut labia a ſe, & a vagina ſepararentur, manifeſteque appareret natura, ſecare coactus fui, & per mediam ſectionem intromittere turundam, ovi albumine,

cum aqua roſacea ſimul quaſſatis, imbutam, primis quinque diebus; octo vero ſequentibus, unguento ex ceruſa camphorato adhibito eam ſanam præſtitam; ſicut infantibus, ano, membroque virili imperforatis accidere obſervavi.

OBSERVATIO II.

Mulieris Vagina unita poſt partum.

ITA & poſt partum, in quadam Muliere Vaginam, & labia pudendi tam arcte unita vidi, ut mariti pudendum prorſus excluderet. Convocato Medicorum conſilio, deliberatum fuit, a vaſis diſruptis in partu, carnis concreſcentiam, Vaginæ non ſolum, verum etiam connexionem cum labiis pudendi ſubortam, neceſſariamque fore ſectionem, ſicut in puella ſuperius enarrata, quæ iiſdem medicamentis, octo dierum ſpatio adhibitis, patefacto foramine, fuit liberata.

OBSERVATIO III.

Cruſta ex Arenulis in Vagina poſt partum, concreta. Caſus rarus, nec ab aliis deſcriptus.

UXORI cujuſdam Mercatoris Vicentini, a Vaginæ partiumque primarum exulceratione ob inſignem arenularum copiam, inſignis cruſta ſuborta fuit, cum ſæviſſimis doloribus, vigiliis, febribus, adeo ut nec ſtare, nec ſedere permiſſum illi eſſet; ſed ſemper in cunis, a famulis agitata, ſicut pueris conſuetum, decumberet. Variis a Medicis adhibitis incaſſum remediis, tandem

dem me acceſſit; quam injectionibus ex oleis amygdal. dulcium, violarum, pinguedine vituli, jure pingui inteſtinorum, lacte, aliiſque ſimilibus, necnon injectione aquæ dulcis fluvialis, cui incocta fuerant folia vitis, malvarum, violarum, plantaginis, ſonci, & lactucæ, dum curare tentarem; mihi tamen, etiamſi remittebantur dolores, omnia fruſtra fuerant. Tandem bis, terve per diem pinguedine humana injecta, arenulam a tunica vaginæ ſeparari, rubicundamque carnem apparere vidi; atque tum lacte aſinino per ſiphonem infuſo, donec dolor ſanatus fuit, uſus ſum, quo ſublato, unguento ex ſuccis, & ex ceruſa illam ad priſtinam perduxi valetudinem.

OBSERVATIO IV.

Nymphæ laudentes meatus Urinarii, & Vaginæ foramina.

ALTERAM obſervavi juvenem, annum decimum quintum agentem, nymphas, ſpithamæ unius & mediæ, mole tumentes, patientem ex copia ſanguinis pituitoſi, occludentes orificia meatus urinarii & vaginæ, effluente per podicem urina, nullo vero dolore moleſto; impreſſo digiti foveam exhibebant, carnis colore, & conditione. Utramque æqualiter ſecui, partem inferiorem inuſſi, & medicamentis digerentibus, & cicatrizantibus ipſam curavi.

OBSERVATIO V.

Ulcus inteſtini recti vaginam penetrans, cum ſtercoris per eandem excretione.

QUANDAM vidi Meretricem, ulcus in inteſtino Recto ex Venere præpoſtera patientem, vaginam penetrans, cum excretione ſtercoris per vulvam, ab omnibus incurabile, quod tamen a me hunc in modum ſanatum eſt. Prius immiſſo per foramen inteſtini recti filo, ac per vaginam educto, & inſtrumento ferreo curvo appenſo, quod vulgo Falcetta dicitur, ſecui, & ex duobus foraminibus unicum effeci, & medicamentis digerentibus partem curavi, ac unguento ex betonica, matriſylva, ceruſa, tutia permiſtis, cum aliqua portione præcipitati, propter luem Gallicam, carnem produxi, & unguento Placentini, confecto ex ſuccis, & calce, cum pulvere minii, præcipitati, & cera q. ſ. ſ. a. illam ſanavi.

Valet autem hoc unguentum, ſicut pluries expertus ſum, ad ulcera Gallica, Sarcotici loco, & Epulotici.

Hinc ſequitur, non eſſe ſtatuendum, juxta mentem Auctorum, ulcera Vaginæ eſſe incurabilia; diſtinguendum enim, an perforatio vaginæ, & inteſtini recti ſit facta ſupra muſculos, tum naturæ, tum ani, an vero infra; ſi ſupra, inſanabilia ſunt, ſi infra, ſanantur.

OBSER-

OBSERVATIO VI.

Diſtinctio ulcerum a Gallica lue, vel ab humoribus ea-vacuantibus ſubortorum, & Curatio per Univerſalia, ac Topica.

HINC diſtinguendum, ulcera in labiis vulvæ exorta non ſemper a lue Gallica provenire; quia aliquando a pituita ſalſa, a bilioſo humore acri eo decumbente, & partes exulcerante, generantur; ſananturque cauſa ſublata, medicamentis ſcil. pituitam ſalſam, & bilem expurgantibus, & eorundem acrimoniam demulcentibus. At ſi cruda, profunda, indigeſta apparebunt, & ſordida, digerentibus, abſtergentibus, mundificantibus eſt utendum, donec unguentis e tuthia, ceruſa, & lithargyro ad cicatricem perducantur.

Quando vero ulcera fuerint venerea, debent curari prius purgationibus; auferendo malam qualitatem cum maſſa ſanguinea permiſtam, decocto, & ſudore, antequam ad partem affectam localibus medicamentis accedamus. At quia multi committuntur errores in exhibendo decocto, a quibuſdam medicis, dum herbarum multarum miſturam addunt, quibus obtundunt vim proprii medicamenti, hac ratione, quod aliis morbis, præter luem veneream, Patientes ſint affecti; qui tamen ignorant luem Veneream, maſſam ſanguineam alterando, viſcera debilitare, aliaſque inducere affectiones, illaque

que ſublata, & reliqua tolli. Ideo his exhibeatur ſemper decoctum confectum ex medulla ligni Guajaci, cortice, & portiuncula Sarſæ, quia Sarſa cum ſit tenuium partium, eſt inſtar vehiculi Guajaci, per quadraginta dies, alioquin gummata, articulares dolores, ozæna, ophthalmiæ ſuboriuntur. Victus his diebus, ſint ſemper paſſulæ, amygdala, nuclei pinei, panis biſcoctus. Singulis vero decem diebus, nec ſumant ægri medicamentum, nec laute comedant, bibantque vinum, ſicut quidam Empirici, Tironeſque artiin quibuſdam regionibus faciunt, & præcipue Venetiis, quia cum lues Venerea maximam obtineat antipathiam cum vino, ex ejus vel levi uſu nulli ſanantur, in pejus quinimo labuntur. Unde illo die portiunculam carnis aſſatæ, vel aves, aut ovum ſorbile comedat Patiens, bibatque ſemper aquam ſecundam Decocti, odoribus ad libitum alteratam. Et ſi patiens hujuſmodi victum toto ſpatio ſudoris tolerare non poſſit, ovum ſorbile quolibet mane ei concedatur.

Partis vero affectæ mala qualitas & malignitas ſi quæ aderit, tollatur unguento ex præcipitato, ſupra applicito. Improbo vero aquam ardentem, oleum ſulphuris, & tartari, quia ſua acri facultate ulcera augent, ſæviſſimoſque inducunt cruciatus, & aliquando Cancros. At præcipitatum tollit malignitatem licet læviſſimum inferat dolorem, partem corroborat, adeo ut facilius digeratur, quia parte digeſta, producitur denuo caro, unguento ex ceruſa, miſto cum

præ-

præcipitato, aut e tuthia cum portiuncula Iſidis. Cicatrix vero inducatur unguento e minio, cum tuthia permiſto. Si hunc talem in ulcerum medela obſervaveris lector ordinem, omnes curabis.

Finis mearum obſervationum Chirurgicarum cum perfecta medela.

FINIS.

WELLCOME MEDICAL SOCIETY.

ERRATA.

Page 30. Obſerv. 20. lin. 4. *expurgari*, lege *expugnari* P. 42. Obſ. 29. l. 3. *ſaucibus*, lege *faucibus*. P. 46. Obſ. 32. l. 1. lege *Lingua, ex vulnere ſclopeti curato*. P. 48. Obſ 34. l. 4. *ex* lege *et*. P. 56. Obſ. 39. l. 1. *eum*, lege *cum*. P. 75. Obſ. 55. l. 1. *locus*, lege *loco*. P. 82. Obſ. 61. l. 5. *cauſæ*, lege. *cauſa*.

OBSERVATIONUM

Medico-Chirurgicarum

SYLLABUS.

VUlnus cum Fractura Cranii, & effluxu particulæ Cerebri, in ſene ſexagenario.
OBSERV. I. PAG. 1.

Vulnus partis poſticæ capitis, cum fractura Cranii, & cerebri parte corrupta excreta. II. 3

Portio cerebri, cum annexa dura & pia membrana, ex cranii Fractura educta. III. 4

Vulnus mediæ partis capitis, ad corpus uſque calloſum pervadens, cum magna vi ſanguinis effuſi, ad lipothymiam uſque, feliciter ſanatum. IV. 6

Vulnus magnum, cum paralyſi brachii oppoſiti, & linguæ, ſanatum, educto fruſtulo oſſis, cum portione membranæ piæ, & Cerebri. V. 7

Fungus ex capitis vulnere pulveribus ex ſpica, & ſchœnantho inſperſis, ſanatus. VI. 8

Epilepſia, duos aut tres menſes, a vulnere cranii intempeſtive obducto, terebratione ſanata. VII. 9

Vulnus cum inſigni depreſſione frontis, eadem non ſublata, ſed rima tantum dilatata, triginta diebus ſanatum. VIII. 10

Vulnus poſticæ partis capitis, cum depreſſione oſſis, & contuſione, ſine terebratione perfecte ſanatum in puella. IX. *ibid*

Ex vulnere anguli majoris oculi maturius occluſo,

aliud vulnus in cervice, cum febre, quæ ceſſavit, eodem patefacto & curato. Obſ. X. P. 11

Vulnus muſculi temporalis, cum fractura Cranii, & membranæ duræ, accedente febre viginti dierum, ſine terebratione feliciter ſanatum. XI. 12.

Contuſio gravis ſyncipitis, cum prolapſu in terram, & privatione facultatum principum, neglecta terebratione, lethalis. XII. 14

Vulnus capitis, cum fractura oſſis ſyncipitis, & frontis, ſcalpro dilatata rima, poſt ſeptimam ſanatum. XIII. 15

Vulnus Capitis ſine fractura, & rima cranii, decima quarta lethale, ob copiam puris inter utramque membranam deliteſcentis ex cerebri contuſione. XIV. 17

Vulnus anterioris frontis, ad meditullium uſque lethale, citra ullam cerebri, & membranæ labem, omnibus licet ſymptomatibus vulneris capitis præſentibus, cum hiatu futuræ lambdoidis, & materia ſanioſa intra ipſas futuras, & ſupra menyngem deliteſcente; præter alias obſervationes magni momenti in curatione vulnerum capitis cum fractura. XV. 19

Cutis capitis, Urſi unguibus, cum pericranio ad futuram uſque lambdoiden diſcerpta, ſanata, ſuccreſcente in ejus vicem alio tegmine illi analogo, cum capillis. Corteſius refellitur de perforatione Cranii in futuris. XVI. 26

Vulnus frontis amplum, ad oculos uſque pervadens, cum cæcitate derepente ſuborta, ſanatum. XVII. 27

Dolor capitis ſæviſſimus ex lue Venerea ſive gummate, in ſeptuagenario, repetita terebratione ejuſdem, ſæpius ſedatus, & recurrens per longa intervalla, cum gravibus quandoque ſymptoma-

tomatibus; tandem eodem præſidio omnino ſanatus. Obſ. XVIII. P. 28

Dolor immanis Capitis ex lue Venerea, decocto ſudorifico quadraginta dies exhibito, neque aliis validioribus præſidiis cedens, terebratione capitis ſedatus, atque omnino ſanatus. XIX. 30

Hemicrania graviſſima in muliere, terebratione capitis ſanata, eo temporis ſpatio, quo patuit foramen, quæ recurrens, eodem obſtructo, nullis poſtmodum remediis ex methodi lege præſcriptis, expugnari potuit. XX. *ibid.*

Meliceris anguli majoris oculi, ad pupillam protenſa, multis remediis fruſtra, curata magna arte cum folliculo ſecta, & extirpata, illæſo oculo. XXI. 31

Fiſtula lacrymalis in puella, ſanata ſectione, cauſtico, aliiſque præſidiis, ex artis lege. Accedit, contra multorum ſententiam, vera & tuta fiſtulas lacrymales curandi methodus. XXII. 32.

Vulnus anguli majoris oculi, inflictum manubrio flabelli, ſanatum, cujus, ſuborto tribus poſt menſibus tumore, ex palato portiofracta educta fuit. XXIII. 35

Atheroma inferioris palpebræ, interna parte, prope angulum majorem oculi, ab ortu genitum, avellanæ mole, in puella quinque menſium, ſectione extirpatum, & ſanatum. XXIV. 36

Tumor carneus palpebræ inferioris, prope angulum externum oculi, feliciter ſanatus. XXV. *ibid.*

Contuſio naſi gravis, cum fractura, & comminutione oſſium ejuſdem, felici ſucceſſu ſanata. XXVI. 37

Obſtructio utriuſque naris, altera quidem integra, a polypo ſpurio, carne ſcilicet calloſa ulceri ex contuſione externa accreſcente; alia

vero imperfecta, feliciter ſanatæ. Obſ. XXVII. P. 39
Caro totum meatum auditorium ad tympanum uſque obſtruens, ac durior, ab ortu, in adoleſcente 14. annorum, purulenta & fœtida ſeroſitate manans, ſanata, auditu abolito reſtituto. XXVIII. 41
Cancer exulceratus labri inferioris maxillæ, in ſene octoginta quatuor annorum, ſectione ſanatus, tribus poſt annis in faucibus ſoboleſcens, cum morte ægri. Accedit cancri exulcerati hiſtoria, in muliere ſeptuagenaria, ſolo uſu unguenti ex ceruſa, ſanati. XXIX. 42
Cancer exulceratus labii inferioris, ovi palumbi mole, ſectione perfecte ſanatus. XXX. 44
Tumor meliceris, a parte ſub lingua, ubi raninæ, ſenſim per partem dextram colli, juxta jugulares venas, & carotides arterias, ad fauces exporrectus, reſpirationem intercipiens, ſectione perfecte ſanatus. XXXI. *ibid.*
Lingua, ex vulnere ſclopeti curato, partibus ſubjectis arcte coaleſcens, cum impedita locutione, perita ſectione ſuperata, ac reſtituta. XXXII. 46
Tumor carneus, & ſcirrhoſus ad raninas, cum impedita locutione, & motu linguæ, ſectione, & inuſtione ſolerti ſanatus. XXXIII. 47
Tumor gingivæ, ſub quo, non ſolum dens, ſed & ejuſdem alveolus, cum parte mandibulæ inferioris, uſque ad os jugale, corrupta, ubi ſubortus novus tumor, qui ſectus, patefecit labem, qua abraſione, & inuſtionibus ſuperata, æger ſanitati fuit reſtitutus. XXXIV. 48
Meliceris colli prope aſperam arteriam, & venas jugulares externas, in cujus diſſecto folliculo alius ejuſdem generis tumor, ſed minor, delituit, ſua & ipſe membranula concluſus. XXXV. 49

Tumor

Tumor colli inflammatorius in puero menſem nato, cum læſa deglutitione, quatuor cucurbitulis cum ſcarificatione ſcapulis, & infra eaſdem adhibitis, ſanatus. Aliquot exempla venæ ſectionis feliciter adminiſtratæ in pueris acuto morbo laborantibus. Obſ. XXXVI. P. 51

Fiſtulæ colli anterioris infra laryngem, ex tumore a barbitonſore intempeſtive ſanato. Obſervanda in curatione vulnerum colli, ne venæ jugulares, & carotides arteriæ lædantur. XXXVII. 52

Duæ Fiſtulæ ſub axilla, variis remediis fruſtra tentatæ, igne actuali feliciter ſanatæ. XXXVIII. 55

Qua ratione curandæ fiſtulæ thoracis, cum labe ipſius oſſis ſterni, quod abraſione ſolum, nonnunquam vero inuſtione, tentandum. XXXIX. 56

Vulnus ſclopeti in articulatione humeri cum ſcapula, ſanatum, decem annis incolumi ægro; a quibus oborto in eadem parte tumore, totum acromium corruptum volſella eductum. XL. 57

Vulnerum in Thoracis cavitatem penetrantium; tum eorum quæ, læſis intercoſtalibus vaſis, ſanguinem in eandem effundunt, tum quæ iiſdem integris, infliguntur, vera curandi methodus. XLI. 58

Ex vulnere Thoracis inter quartam & quintam coſtam, Epilepſia ſuborta, qua nunquam alias correptus fuerat æger, turunda immiſſa, recurrens. XLII. 59

Pus ex vulneribus Thoracis ſuperioris in ejuſdem cavum effuſum, ſine ſectione quandoque per alvum expurgatum, convaleſcentibus illico ægris, quo id citius contingit. XLIII. 60

Empyema ex pleuritide, ſectione inter quintam, & ſextam coſtam, felici ſucceſſu ſanatum, fruſtra

tra adhibitis, ex consilio Medicorum magni nominis, externis medicamentis. Obs. XLIV. P. 61

Ex vulnere in Thoracis cavum penetrante inferius, perperam viginti dies obligato, febris, totius corporis macies, cum delirio suborta, a suppresso pure; quo expurgato, omnia remissa, sanato ægro. Ex squalore corpus squamis instar piscium obsitum. Error vulgarium Chirurgorum, qui vulnera thoracis non explorata, aquis balsamicis intempestive occludunt, notatur. XLV. 63

Ex vulnere Thoracis, superius, magna puris copia in ejusdem cavo congesta, sectione inter quintam & sextam costam expurgata; nec non per os, & urinam, diei spatio. XLVI. 65

Ex vulnere Thoracis fistula suborta, quæ spatio aliquot mensium pervadens ad capsulam Cordis, hujus substantiam ad fibras usque cavitatis absumpsit. XLVII. 67

Ex Aneurismate arteriæ magnæ sub corde, sanguis effusus in pulmonem dexterum, cum suffocatione Patientis. XLVIII. 68

Difficultas respirationis, cum dolore hypochondriorum, ex amplo Corde firmius annexo Diaphragmati & Pleuræ. XLIX. 69

Dolor ventriculi, cum sanguinis vomitu recurrens, in abscessum fundi ejusdem mutatus, frustra curatus, tandem omnino sanatus. L. 70

Vulnus abdominis penetrans, cum prolapsu omenti, quod sectum, licet non omnino corruptum, nec tamen obligatum, ex magna vi sanguinis in inguen ejusdem partis decumbentis, abscessum in eo excitavit, qui sectus, educto multo pure, remediis accommodatis perfecte sanatus. LI. 71

Tumores jecoris suppurantes, in gibba potissimum ejusdem parte tuto secantur; in cava vero, per urinam

urinam expurgandi, exemplo Virginis, quæ tumore ejuſdem partis laborans, per urinam magna vi puris excreta, eo liberata eſt. Obſ. LII. P. 72

Fiſtula umbilici ad inteſtina uſque ſerpens, diu fruſtra curata, parvo temporis ſpatio feliciter ſanata. LIII. 73

Epiplocele cum ſarcocele conjuncta, ex eroſione omenti complicati, enata carne in ſpithamæ longitudinem ex inguine propendente. LIV. 74

Buboncele loco bubonis Venerei ab imperito barbitonſore ſecta, prodeuntibus alvi fæcibus, brevi temporis ſpatio ſanata. LV. 75

Quinque fiſtulæ femoris ex vulnere ſclopeti cum tumore, & oſſe carioſo, male curatæ, ſublato callo, & accommodatis remediis ſanatæ quidem, ob extremum tamen os fractum ſupra aliud diutius coaleſcens, aliorum Medicorum incuria, claudicante ægro. Quod antiquæ fracturæ ex vulneribus ſclopetorum ſint inſanabiles. LVI. 76

Ulcus amplum depaſcens totius cruris, male curatum, frequenti ſcilicet inuſtione, & exſiccatione nimia oſſis, ejuſdem abraſione, & accommodatis remediis ſanatum. LVII. 78

Teſticuli in inguine deliteſcentis, in infante octomeſtri, fruſtra diu tentata ſuppuratio, alterius tumori loco. LVIII. 79

Ex Gonorrhœa Venerea antiqua, variis fiſtulis pertuſum collum veſicæ, prope urethram, cum effluxu urinæ, non ſolum ex ſcroti pluribus locis, verum etiam ex inguinibus, præter ſpem ſanitati reſtituto ægro. LIX. 80

Meatus urinarius graviſſimo errore pro fiſtula pudendi muliebris curatus. LX. 81

Uterus laxatus a partu puellæ, pro ſecundinis non procedentibus, ab obſtetrice imperita manibus magna vi attractus, & præcipitatus, ſuborta illius

illius inflammatione & gangræna, illuſtriſſimæ matronæ mortis cauſa. Obſ. LXI. P. 82

A Morſu equi refractarii detruncatum tertium internodium pollicis, cum evulſione tendinis muſculi illud flectentis, ex voto ſanatum. LXII. 83

Nervos, & tendines vulneratos non eſſe ſuendos, contra Severini ſententiam. Tendinis vulnerati, ex ſecta vena jecoraria lethalis, hiſtoria. LXIII. 85

De Fiſtulis Ani, & inteſtini recti 88

Earum differentiæ. CAP. I. PAG. 88
Cauſæ. II. 89
Signa diagnoſtica. III. 90
Prognoſtica. V. 91
Curatio. VI. 94
Symptomata fiſtulis ani & inteſtini recti ſupervenientia, & earum curatio. VI. 103
Obſervanda in earum curatione. VII. 105
Obſervatio de eiſdem. 107
De Ulceribus Ani. 108
De eiſdem obſervatio ſingularis. 111
De Ulceribus & Fiſtulis Urethræ. 113
De Spina Ventoſa. 117

Obſervationes Poſthumæ.

Puella laborans conjunctione labiorum Pudendi. I. 121
Mulieris Vagina unita poſt partum. II. 122
Cruſta ex Arenulis in Vagina poſt partum, concreta. Caſus rarus, nec ab aliis deſcriptus. III. *ibid.*
Nymphæ claudentes meatus Urinarii, & Vaginæ foramina. IV. 123
Ulcus inteſtini recti. 124
Diſtinctio ulcerum a Gallica lue. 125